



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>





ERN. JOACH. WESTPHALII,  
 DE  
 ORIGINE <sup>6.</sup>  
 ET MEDELA  
 CORRUPTÆ  
 JURISPRUDEN-  
 TIÆ ET  
 JUSTITIÆ,

HISTORICA ET DOGMATICA CON-  
 SIDERATIO.

*Accedit*

Bibliotheca Consiliorum ab A. 1555. usque ad A. 1726.  
 DE EMENDANDIS JUSTITIÆ ET JURIS-  
 PRUDENTIÆ NÆVIS,  
 Ut & Biga Consultationum  
 DE PRÆCAVENDA CONFUSIONE JUDICIO-  
 RUM MECKLENBURGENSIUM,  
 DEQUE MATURANDA JUSTITIA IN CURIA  
 ROSTOCHIENSI,  
 de Annis 1657. & 1626.

---

ROSTOCHII & LIPSIAE  
 Impensis CHRISTOPH. MART. SCWECHTII,  
 MDCCXXVII.



6.

ERANTOACH WEST

ORIGINE

BUT MENDIA

CORRUPTIA

JURISPRUDEN

THE ET

JURISPRUDEN

MAISON DE LA ROYAL ACAD

DE LA ROYAL ACAD

DE LA ROYAL ACAD

DE LA ROYAL ACAD

DE LA ROYAL ACAD

DE LA ROYAL ACAD



VIRO

EXCELLENTISSIMO, CON-  
SULTISSIMO ET AM-  
PLISSIMO,

DOMINO,

DOMINO

D. JOANNI

CHRISTIANO

BENEMANNO,

JURECONSULTO CONSUMMATISSIMO,  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATI POLONI-  
ARUM ET SERENISSIMO PRINCIPI  
ELECTORI SAXONIARUM A CON-  
SILIIS IN JUDICIO CURIALI  
ET JUSTITIÆ,

*reliqua,*

F. precatur & S.

ERN. JOACH. WESTPHAL.



FIRDO

DOMINO

D. JOHANN

CHRISTIANO

BENEDICTINO

JOHANNES BAPTISTA

DE S. ANTONIO

DE S. MARTINO

DE S. PAVLO

DE S. STEPHANO

DE S. AGNE

DE S. CECILIA

DE S. CATHERINA

DE S. BARBARA





VIR  
EXCELLENTISSIME  
&  
CONSULTISSIME

**A** Nnuum effluxit spatium, quo  
mibi licuit esse adeo felici, ut illuxe-  
rit occasio frui Tua benevolentia &  
commercio, quo nihil honoratius mibi contin-  
gere poterat, literarum. Has juxta & Edita  
Tua debito cultu suspexi, &, verum fateor,  
Scriptum illud, quod meditatus es de emendan-  
da Justitiæ administratione movit me & ani-  
mum accinxit, ut presens opusculum Tuo judi-  
cio



cio relinquerem, Nominique inscriberem &  
 meritis & doctrinis Tuo excellentissimo. Non  
 quidem in hoc scriptiois genere rem acu teti-  
 gisse, Jurisque vulnera & Justitiæ nævos ad vi-  
 vum ressecuisse videor mihi & persuadeor; ve-  
 rum enim nihilominus has primas lineas histo-  
 ricas & legales in lucem malui nunc consti-  
 tuere, quam dicare tenebris & blattis. Trien-  
 nium fere elapsum est, cum has ipsas, quas Tibi  
 consecro meditationes, in chartam conjeci.  
 Causas corruptelarum Juris & Justitiæ Admi-  
 nistrationis penitus optaveram deinceps exa-  
 minare, ut causæ corruptæ Justitiæ ejusque me-  
 dela, sive dogmatica sit, sive authentica seu Le-  
 gislatoria, utraque vero ad egrotantis Juris-  
 prudentiæ causas & natales attemperata, in oculos  
 incurreret, omniumq; sensus subiret. Ut explerem  
 hoc institutum, cæpi periculum rei facere, &  
 in peculiari opella distinctam & practicam in  
 Jure Romano & Germanico docendi Rationem,  
 Incertitudini, confusione & prolixitati Jurium  
 diversorum opposui, simulque Juris prudentiæ cor-  
 ruptæ & ambiguae justitiæ doctrinale remedium  
expendi



*expendi. Benigne sentis quidem Vir Amplis-*  
*sime de argumentis istius opusculi; sed Tua*  
*indulgentia est, quæ imperfectioni ejus facile*  
*ignoscit. Dogmaticam saltem descripsi medelam,*  
*cujus complementum, cujus originem, rationes*  
*& fructus in cathedris & foris quoad emendan-*  
*dum Jurisprudentiam & Justitiam, nu-*  
*pera observanti & debita reveren-*  
*tiz ad Tuas manus detuli. Padagogicæ*  
*seu doctrinalis emendationis orbes & rationes*  
*egressæ non sunt meæ exercitationes; TUIS*  
*viro curis, Vir excellentissime, didici, quid*  
*de authentica corruptæ Justitiæ administratio-*  
*nis medela sit habendum. Idonea illa demum*  
*est, quæ universum Juris & Justitiæ negotium*  
*in integritatem restituit, & tot corruptelas ex*  
*Juris Romani, Canonici & totuplicis confusionis*  
*fontibus oriundas, una cum ipsis horum malo-*  
*rum Parentibus exules esse jubet in curiis Ger-*  
*manorum. Dædalo ordine coherent & suf-*  
*fulta sunt quæque in hoc consilio historica con-*  
*nexione, ratione legali, communi, forensi &*  
*pragmatica, cui comitialia instituta adplau-*  
) 4
dunt




dunt, cui superiori seculo Petrus Henricus Stralendorfius, Imperii Vicecancellarius bene precatus est, cui Historicus viam pandit & Factus assurgit, cui fortunam & eventum apprecatur, quisquis circumfert erectius sinciput. Ipsi Leguleji non nesciunt vim brocardici, quod naturalius nihil sit, quam solveere malum eodem, quo colligatum est, vinculo. Quicquid sit, tanta est vis prudentiae consultatoriae & judicialis, ut sua dignitate rapiat ad se quosvis rerum gerendarum non plane inexpertes, maxime Factos, solidiori scientia tinctos, non vulgarissima, non superficialia & falsa eruditione lotos, ut impense ipsi letentur, si in lucem reduxerint fidam Doctrinam, Rationem & usum Jurisprudentiae à vilissimis & communibus Causidicorum & Interpretum sordibus & glebis repurgata. Stupidi sunt vel ignorantes, qui illam fugiunt & mordicus adoriuntur, illi inquam, quibus Accursius praecordia finxit de lute & sputo



sputo, quibus præiudicia & Dicta Legulejorum sunt Veritatis præsidia, quibus jurisprudentiæ cadaver & sceleton idem est, quod Ephesius fuit Diana. Rediit vero nostra ætate, vel certe redire incipit in Patriam & illucescit post profundam noctem lucidum solis jubar, ut Cordatiores spem foveant, fore, ut caligines omnes nunc abeant in fumum & evanescant. TIBI, Vir consultissime, quid debeat Respublica & Curia, quidue sub TUIS Auspiciis & Te curante exspectet Jurisprudentia; id quidem non pagine, sed merita TUA interpretantur. Prosequi illa fas est cultu & observantia, cujus & ego ut edam documentum, TIBI, Vir Excellentissime, libellum, quem omnino alias profiteor Tanto Nomine indignum, audeo consecrare. Nihil egi in hac oppella, quam quod requisiverunt primæ lineæ & causæ Originis corruptæ Jurisprudentiæ, quas ex historia juris privati patrii & Judiciorum in hunc finem deduxi,





ut ad doctrinas deinde liceret transire, & inme-  
ridiæm constituere, qua soliditate, quo princi-  
pio & talo, qua necessitate & qua methodo,  
quibus fulcris, præsidis & rationibus nitatur  
Consilium authenticum de abolendo Jure, tot  
Corruptelis referto. Precor Deum, ut Te serve,  
incolumem & diutius tueatur in Reipublicæ  
emolumentum. Meo vero conatui benigne  
consule, TUOQUE favore & TUA indulgen-  
tia me measque curas redde cultiores.

Scr. in Academia Rostochiensis A. 1726.

Die XI. Septemb.

**PRÆ-**



# PRAEFATIO.

**O** Pacum Jurisprudentia corpus est, nisi Anima moveatur, hoc est, Ratione. Mentem & vim Legis, Humanistæ vocarunt animam rationalem, & non dubito, quin sensum Legis dixerint animam sensitivam, verba Legis vero animam vegetativam. Ultimam amplectuntur & nubem pro Junone accipiunt Legulistæ, simulque non veram seu vivam Jurisprudentiam & integram, sed falsam & larvatam, mortuam & mutilatam exosculantur & profitentur. Etenim non Leges & rationes, Justitiæ comites & duces veræ Jurisprudentiæ sequuntur, sed ad cadaverosam adhinniunt & plenis passibus grassantur Juris scientiam, cujus fulcra & palladia sunt ars legulistica, rabulistica & glossatoria. Primam speciem falsæ Jurisprudentiæ nominavit hoc Juris Cadaver illustris Thomasius in novissima de vera & falsa Jurisprudentia Oratione, cui sceleton Jurisprudentiæ falsæ, hoc est, solam autoritatem Juris Interpretum, ingeniose addidit, demumque Spectrum Jurisprudentiæ, hoc



hoc est, rationem Legibus adversam associa-  
 vit. Certe, qui intellexerit, quid hæc sibi  
 velint, facile comperiet, quid dicendum  
 sit de hodierna Jurisprudentiæ facie & consti-  
 tutione. Ita hujus corruptelæ sunt com-  
 paratæ, ut in sensus incurrant palpabiles, non  
 secus ac morbi & vulnera. Qui ultra vulgus  
 sapiunt, ad Juris & Justitiæ incertitudines, con-  
 fusiones, prolixitates, omnes facile obstupes-  
 cunt, adque easdem ingemiscunt, & iisdem  
 mederi generisque totuplicis malis consulere  
 conantur. Uti vero frustra de medicina pa-  
 randa & reducenda sanitate cura instituitur,  
 nisi de historia morbi, de ipsius radicibus, cau-  
 sis & origine constiterit; ita quidem Jurispru-  
 dentia imitatur *medicinam*, & frustra exspe-  
 ctat in ægritudine sua, cum qua colluctatur, justi-  
 tiaria, medelam & restitutionem in statum in-  
 tegræ, nisi perspecta habeatur prima & ori-  
 ginaria morbi occasio & causa. Ad investi-  
 gandum illud negotium usus sum historia Ju-  
 risprudentiæ Germanicæ & status Judiciorum  
 Patriæ à primis Seculis, usque ad epocham ip-  
 sius Jurisprudentiæ, in Cathedris & foris Ger-  
 manorum tot corruptelis & totuplici imprimis  
 incertitudine & prolixa Justitiæ administratio-  
 ne perturbatæ. Delineavi hoc argumentum,  
 non perpolivi & ad coronidem usque suis nu-  
 meris



meris prolixè abfolvi in præfenti confideratione  
 ne hiftorica fimulque & dogmatica  
 confultatione, quæ ægrotantis Jurispruden-  
 tiæ Originem & medelam ad morbi caufas  
 attemperatam in medium affert, ut ma-  
 teriam peccantem expellat contraria medicina,  
 vel certe imminuat & repellat, ne morbus in-  
 gravefcatur. Non licuit expendere alia aliorum  
 confilia & media, quorum catalogum faltem  
 opufculo adjeci. Bina præterea ob argumenti vi-  
 ciniam accellit de promovenda, fpeciatim in  
 Curiis Mecklenburgicis, Juftitia Confultatio, al-  
 tera, Roftochiensis Senatus, altera Confiliarii  
 & Doctõris Nicolai. De ultima judicium tulit  
 illuftris Thomafius in parte prima Cafuum  
 mixtorum juridicorum, quod perfpicua fit, in-  
 genua & fuo egregio non defraudanda elogio,  
 Facile huic judicio fubfcripferit, cui in corpo-  
 re fano fana mens eft, facile vero fibi dignos  
 illos dixeris, qui auctori plus tribuunt, quam  
 ipfe tribui confilio avet. Memini fuiſſe Legu-  
 lejos, qui Jurisprudentiæ & Juftitiæ ftatum vo-  
 caverint florentiffimum & perfectum, adeo ut  
 rugata fronte & contractis fuperciliis con-  
 temperint, qui vel verbulum dixerint de  
 emendanda Juftitia. Addiderunt, nihil haberi  
 in Jurisprudentia, quod repurgio indigeat, &  
 fi judicia refpexeris, fpeciatim in Megapoli fuf-  
 ficere



ficere, si evitaretur Judiciorum confusio juxta Consultationem Nicolai. An Rabulas, an supinae Ignorantiae mancipia & solidae Eruditionis ac Jurisprudentiae prorsus Ignaros, istos quidem nuncupare velis, singulis, qui sapiunt, erit perinde. Stipites enim sunt, non Jcti, qui tot internas Jurisprudentiae & Justitiae corruptelas, tot emendandos in Jure & Justitiae administratione naevos trutinare nesciunt & dignoscere ab externis Judiciorum incommodis & confusionibus, quas usus & Administri officiales culpâ vel dolo vel astutiâ diversimode inferunt sæpius Judiciis & Tribunalibus. Sufficiet legisse ipsum, quod propterea typis exscribitur, Nicolai Responsum & Rostochien-  
 sis senatus Consilium. Utrumque enim est documentum argumenti posterioris, cui pri-  
 mas prioris momenti lineas præmissi historicas & doctrinales, Juris incerti & proluxi proces-  
 sus causas & occasiones, hoc est, Jurispruden-  
 tia Germanicæ & Justitiae administrationis fa-  
 ta & corruptelas, earumque originem & dogma-  
 cam emendationem complexas. Nihil est, quod  
 amplius Te in vestibulo moretur, si vel ver-  
 bulum additum fuerit in elogium consilii Nicolai.  
 Laudat illustris Dominus Thomasius Aucto-  
 rem



rem non solum propter candorem & perspicuitatem, verum etiam propter scribendi methodum Legulisticis allegationum cumulis non irretitam, & animum ipsius Aristotelicis nœniis neutiquam lotum. Displicuit hoc ratiocinium cuidam Pseudonymo, qui sese vocavit Jo. Nicolaum Saltzmannum, ut sibi magis placeret, vel ut sal videretur Sapientiæ Aristotelicæ. Edidit adversus Thomasiæ peculiaria scripta, tot cavillis farcita, ut facile ingenuus lector intellexerit, ad Saltzmannum pertinere illud Catullianum: Nemicam quidem Salis ibidem haberi. Dicunt plures, quod Grumis salis bruti, muria & Salsilagine plagulæ Salsamentarii quidem sint perfusæ; sed mallet condidisset illas & perfricuisset sale acri, aceto & pipere, ne ipsi occinere liceret illud Paulinum ad Colossenses Capite quarto, versu sexto. Quicquid sit, mihi cum illo nulla erit disceptatio, id saltim postulo, ut Mecklenburgico Administro elogium Thomasiæ invidere nolit. Aristotelis principia politica inepta sunt ad reformandam Jurisprudentiam, violenta sunt remedia, quæ radicales causas morbi & circumstantias non respiciunt, sed vi & præcipitantia, pœnis & Legibus, ægrotantem Justitiam angunt, adeoq; Circumforaneos



raneos decent & agyrtas, neutiquam prudentes medicos. Cumulus vero Scholasticarum allegationum ex Platone, Aristotele & utroque Jure jam tum illustri Autori Consilii visus est impertinens & ineptus, cum imbecilitatis Judicii documentum sit, quærere allegata, ubi sufficit ratio naturalis. Scire, verbi causa, virtutem esse per se amabilem, sed, ut id probeatur, Platonem ex inferiis adsciscere, ridiculum æque est, acsi per Novellas, Leges, & Canones, Utriusque Juris allegationes phaleras & argumenta Legum probare volueris assertiones, quas Deus, Ratio & sensus communis diutius esse voluerunt veras & infallibiles, utpote: à Deo rerum capiendum est primordium: Qui vult finem, vult etiam media: Omnium habere memoriam non est humanitatis opus: Virgines, quæ menstruum non patiuntur, ægrotant, & quæ sunt ejusdem generis veritatis dicteria alia. Nolui hæc te latere, ne Aristotelica turba detrahere non nihil videatur gloriæ laudato Consilio. *Scr.*

*Sverini. 1724.*

PRO-



PROLUSIO ACADEMICA,

DE

CORRUPTÆ  
JURISPRUDENTIÆ  
ORIGINE ET MEDELA.

D. ERN. JOA. WESTPHALII.



PROLIFERATION  
DISEASES

CORRUPTA  
MORBIDITATE  
THE ORIGIN  
OF  
DISEASE  
BY JOHN WESTPHAL





# CAPUT I.

## DE CORRUPTELIS JURIS ET JUSTITIÆ.

### §. 1.

**F**Runt bella , rixæ , altercationes *Finis Rei-*  
 infidiæ , atque processus , donec *publicæ es-*  
 erit hominum malitia. Ego *pax atque*  
 solus non incuso homines malitiæ , *in-justitia.*  
 cusarunt majores , incusabunt posterì ,  
 donec orbis concidat atque depereat  
 cum vitiis , incolis & civibus , hique re-  
 vertantur ad integritatem. Sponte  
 ergo credideris opus esse in Rebuspu-  
 blicis , non quidem præpostera , sed  
 prompta tamen & tædiosæ prorogatio-  
 nis , ac incertitudinis inexperti admi-  
 nistratiõne justitiæ , ut crimina justissi-  
 mis pœnis cœerceantur , ac civibus in  
 judiciis civilibus de tuo & meo litigan-  
 tibus paratissime satisfiat , obex in  
 causis ponatur atque terminus. Et  
 huc quidem respicit suprema Reipu-



blicæ lex ac finis, quem merito collocamus in justitiæ procurationem & conservandam vel restituendam pacem, internam præcipue & domesticam quietem ac tranquillitatem. Ast vero, si calculos subduxeris, quam male rem se habere, censebis, si ipsum jus in incertitudinem, justitiâ vero in justitium ac prolixitatem, & justitiæ administratio in ministerium diuturnitatis, morbos, vitia ac ipsam malitiam degeneraverint?

## §. II.

*Cui contrariantur incertum jus ac prolixitas processuum.*

Et si præsentem Jurisprudentiæ statum ac rerum magistram consulueris, facile comperies, quod aliter fieri non possit, quin frequentes ob varios Jurisprudentiæ defectus, multitudinem, incertitudinem Jurium ac litium prolationem præcipue, audiantur de Juris ac Justitiæ corruptionibus querelæ. Non est quod dictorum scruteris rationes, cum ingens Jureconsultorum ac litigantium turba facile te veritatis convincere possint, quod ancipites circa Jura explicanda hæreant, & litigiosæ partes, quoties ad tribunalia



bunalia vocentur, iudicii fortunæ ac dubiæ justitiæ sese exponant, perinde ac si arbitrio iudicantium ac tantum non forti & ollæ causas ac argumenta commisissent. Nec enim solum in *applicandis* Legibus inter multiplices diffensiones distrahuntur Interpretes, adeo ut jam suo avo **FACHINÆUS** controversiarum tredecim centurias, quidni, si omissas ac denuo enatas addere voluisset ac potuisset? totas myriades conscripserit; Verum &, quod anticipem interpretationem comitatur, in *applicandis* iuribus ac litibus decidendis in bivio versantur ac, dum omnis quæstio in utramque partem secundum Jurium varietatem possit disputari, circa ipsam vim & auctoritatem Legum, difficultatibus, contentionibus atque inconstantia tota involvuntur & cum ambiguitatibus colluctantur.

§. III.

Eo nimirum res pervenit, ut, postquam à veteri germanorum simplicitate ac morum religione discessimus, in alterum extremum prolapsi

*Inde au-  
diuntur  
querela de  
corrupta  
Jurispru-  
dentia,*



*Sigillatim  
circa Le-  
gum va-  
rietatem  
& multi-  
tudinem.*

quamvis antea vixerimus moribus ac legibus non scriptis sed consuetudinariis, mox tamen non uno jure scripto non duplici, sed plus quam quadruplici, jure uti inceperimus ac, quousq; hoc vel illud autoritate polleat, tum quodnam, & in quibusnam argumentis, alteri prævaleat, nunc huc nunc illuc animo fluctuemus. At priusquam hæc distinctius evolvam, duo hic quidem monendâ sunt, ne illis spatia relinquam, quibus volupe est uti arte consequentiarum.

#### §. IV.

*Et quidem  
in utilium  
atque du-  
biarum.*

Nolo hic, dum de multitudine legum dixi, innuere, ac si tum salva sit habenda respublica, si Legibus prorsus ac constitutionibus careret. Sicuti enim nec hoc ex asserto fluit, quo saltem inutili contrariamur legum multitudi, cui non defectus sed paucitas legum utilium ritè opponitur; ita quidem ultro constat, quod æque extremum sit atque damnosum, arbitrio, ac cerebrinæ judicantium religioni sese exponere, quam variantium ac incertarum Legum multitudi sese fidenter

*Ratio pri-  
ma.*

COM.



committere. Nec crediderim, caruif-  
 se veteres cives germanos, uti vulgo  
 perhibetur, placitis ac Legibus, cum  
 hæ minime indigeant scriptura atque  
 Systemate litterali. Quo superfedere  
 potuerunt majores, eo quod ex TA-  
 CITO conclamatum sit, quod fide  
 atque religione, reliquis gentibus ma-  
 jores extiterint, hauserintque indubie ex  
 cultu morum ac legalium conventionū  
 promptiorem juris administrationem,  
 quam posterius ex Scriptorum Jurium  
 multitudine. Quæ, quanta etiam sit,  
 in causa omnino est, ut de defectu le-  
 gum utilium ac certarum conquera-  
 mur. Meminit *Tacitus* circa pœnas  
 homicidii ac adulterii, æque ac circa  
 succedendi modum ab intestato, con-  
 stitutionum Legumque simplicium  
 Germanorum, qui nesciverunt proces-  
 sum inquisitorium, civilem, tabulas  
 testamentorum, & romanorum circa  
 successiones controversias. Ultra li-  
 quet, quam cito civiles lites sopiverint,  
 quantâque promptitudiue delicta pu-  
 niverint citra diuturnos processus.  
 GOLDASTUS *Consuetud. Imperial.*  
*princ, f. 5.* SCHOTTELIUS *de sing.*  
*Germ.*



❖ (o) ❖

*Germ. Jur. præf.* Nolim tamen, existimes, Germanos Scriptarum Legum congeriem ex hac causa non habuisse, quod legendi scribendique artis fuerint imperiti; Frustra accusas majores inscitiae, cum jam alii ostenderit non ignoravisse Bardos ac Druides, forte nec privatos germanorum, literas, sed nescivisse saltim literarum *scereta*, chartas literasque *amatorias*, quibus sæpius vacarunt romani, quibus non erat fera venus. Et putem, ob naturam civium Reique Publicae habitum veteres Germanos tum opus non habuisse, ut Leges canticis ac versiculis comprehensas, litterarum elementis exprimerent, prouti exinde videtur corroborari, quod primas Leges Seculo quinto demum literis consignaverint Franci, Wisigothi alii-que Romanarum provinciarum triumphatores, qui delitescentes in Latinos a fide natura atque statu veteri discesserant sensim, miscuerantque has dotes cum perfidia, malitia & moribus Romanorum. Quorum Leges jam Taciti ævo, quo adhuc Germani moribus utebantur, in immensum numerum



merum excreverant. Quibus suppo-  
 fitis, non est, ut cum RUDBECKIO,  
 SAMUELE PURSCHASIO, JO. A-  
 VENTINO atque GOLDASTO de  
 characteribus runicis ac *literis Legum  
 veterum germanorum earumque  
 Autorum nominibus* fabulas reci-  
 temus, cum sufficia audivisse testi-  
 monia ipsorum germanorum hostium,  
 quod paucae sed utiles ac statui ac-  
 commodatae Leges & consuetudines Ger-  
 manorum, copiosis Romanorum Legibus  
 praestiterint. CULPISIUS *de Obj. Imp.*  
*lib. 8. c. 16.* GOLDASTUS *De majora-*  
*tu L. 2. c. 16. §. 5. seq.* LINDENBROG  
*Codice L. L. antiqu. proleg.* GRYPHI-  
 ANDER *de Weichbild. c. 37, 40. n. 6.*  
 MARIANA *Histor. Lib. 9. c. 18.* Et  
 hac quidem occasione concessi, quod  
 in Republica & Societate inconsulta  
 fit ratio, vel Legum defectu vel bonis  
 consuetudinibus laborare, ac judican-  
 tium religioni justitiam committere.  
 Verum aliter sese res habet in quaesti-  
 one de amputanda inutilium legum  
 varietate ac multitudine. Haud enim  
 Legum vis atque virtus ponenda est  
 in earum operosa amplitudine atque



copiâ , sed æstimanda est ex regulis prudentiæ legislatoriæ & politices , quæ suadent , ut Legibus utilibus & efficacissimis prospiciatur Civibus , quantumvis paucis. Et parum convenit cum prudentia civili rectori , emendicare Leges à gentibus exoticis ac peregrinis , Legum vero præeminentiam & potestatem repetere ex multitudine , cum hæc sit indicium depravatissimorum hominum , quorum vafrities atque astutia romana simplicissimis sanctionibus compesci nequeunt. Ex quibus facile judicari poterit de iis , qui ob diffusissimarum Legum congeriem Jus Romanorum tantum non ad sidera efferunt & pro perfectissima Jurium compage in totius orbis provinciis venditant ac instar palladii cœlitus demissi advenerantur. CHORANDAS *resp. Jur. Franc. L. 3. resp. 81.* DUCK *de Usu & ant. Jur. Rom. 1. §. 5. c. 2.* ALB. GENTILIS *L. 1. de nupt. c. 6.* TERRIENUS *du droit civ. de Norm. L. 1. c. 3.* E diametro facile probatu est , quod germani , simplicitate ac certitudine Legum ; Græci vero , legislatoria prudentia , ac Hebræi Legum

gum



gum vel consuetudinum sanctitate, Juri laudatissimo *Romanorum* palmam præripuerint. Nec est, quod tibi persuadeas, cordatissimos romanos à græcis, hos ab Ægyptiis, Ægyptios vero ab Israelitis, ideoque suas Leges ab optimis Legislatoribus accepisse. Diversæ prorsus sunt assertiones, uti Legibus statui ac reipublicæ propriis atque domesticis, ac uti peregrinarum sanctionum colluvie, Legibusque emendicatis & ex statu divertissimo conquisitis. Otium tamen superius dicta nobis hic faciunt, & alii dixerunt plura de rationibus, quæ moribus tribuunt præ jure Scripto prærogativam, sive respexeris ad originem scriptarum legum & consuetudinum populorum, quorum multi sine Legibus Scriptis, sed nulli sine moribus vixerunt; Sive respexeris ad ambiguitates & imperfectionem Legum quæ omnes casus non poterunt definire. Ex concessa vero legum necessitate locus statim dandus non est sequelæ, quod hæc meliores sint jure non scripto. BERNEGGERUS ad Tacit. qu. 112. seq. PLUTARCHUS *ex interpret.* XYLANDRI f. 43. §. V.



## §. V.

*Ratio Secunda.*

Ast superest, ut altero loco moneam, quod, dum conquerimur de Jurisprudentiæ corruptione, longissime abhorreamus à sacrilegiò illorum, qui peccant in debitam Legibus ac legislatorum voluntati reverentiam. Non disquirimus de voluntate imperantium sed de contentionibus atque diffidiis circa vim Legum earumque autoritatem ac varietatem, ex quibus non possunt non lites mirifice protelari & in immensum multiplicari. Cum enim varia in foris ac scholisvolvamus & sequamur jura è diametro in singulis fere argumentis sibi invicem contrariantia, opus omnino erit dispectione, quodnam vim Legis obtineat, ne inter tot J Ctorum dissensiones Justitia ingemiscat, ac leges cum justo periculo inter incertitudinem di-

*Recitantur* strahantur.

*tur quarela*

*de Legum*

*multarum*

*incertitu-*

*dine liti-*

*umque ac*

*processu-*

*um proli-*

*xitate.*

## §. VI.

Et de his quidem nunc latius. Eo enim dudum rediit jurisprudentia, ut si accesserit actor ad tribunalia vel confilii causa se receperit ad privatos J Ctos, collegia atque doctores de jure respondentes, sine perplexa difficultate altero die



die ex patrio Jure possit absolvi, altero vero ex canonibus condemnari, iterum ex jure civili romanorum à periculo liberari, iterumque ex observantiis ac collegiorum & judiciorum præjudiciis, Juriumque responsis nunc pœnis subjici, nunc litibus immergi. Pugnant doctores, militant Interpretes, colluctantur cum legibus judices, Ita ut **COCCEJUS** *in Jure* *Oriunda* *Controverso* scripserit, rediisse Jurisprudentiæ ætatem *ad epocham Incertitudinis*. Quas enim leges unus primo loco attendendas censet, has alter ultimo, hic vero prorsus nullo vult observari in causarum diffensionibus. Si alter hodie ex Jure Quiritum ac transalpino pro actore responderit, alter non minori jure cras ex decretis & decretalibus pro reo, hic vero pro neutro ex glossis atque communibus opinionibus judicabit. Neque, qui communes opiniones allegant, privilegium nanciscuntur à contradictionibus, cum dentur opiniones communes contra communes quarum ingentem acervum congeffit **HIER. CÆVALLOS**. Quod unus asseruit probavitque ex communi, cui vim consuetudinis vulgus tribuit,

*ex Com-  
mixtione  
juris pa-  
trii & pe-  
regrini.*

*Ex obser-  
vantiis &  
præjudi-  
ciis.*

it,



it, opinione, id eadem promptitudine negabit, ut fere Judices circa Leges de pluralitate votorum ac Doctorum allegationibus & sententiis videantur transegiff.

## VII.

*Ex communibus  
opinioni-  
bus.*

Docuit experientia, quod sæpius ipsæ communes opiniones, novas lites, novasque quæstiones moverint, quænam sit opinio communis? quæ sanior sit? & utrum ea quæ plurimis autorum calculis stipata, utrum, quæ ad rigorem, vel quæ ad æquitatem magis accedit, vel quæ de peccato vitando agit, vel num alia attendi mereatur in foris? Disceptant desuper rationibus affirmantibus & negantibus ex multiplicis juris textibus, adeo ut nec CASP. ZIEGLERUS *Dicast. const.* 39. & 40. ex labirintho se extricare potuerit, sed cum æque obscuro axioma: *Non temere discedendum esse à communi opinione & quidem probabiliori*: ab examine hujus erroris discesserit. Qui ad Jus Canonicum pervolant, partes non quidem ad votorum majoritatem sed sanioritatem sententiarum ablegabunt, at, quod pace catholicorum dixerim, latet



latet sub hoc asserto juris pontificii non solum insigne papatus politici arcantum, ac scholasticorum, qui ita verosimile definiverunt, mysterium; verum etiam cum sapientiores, quos quidem non nominarunt, sint paucissimi, adeo ut, quod pluribus videtur verosimile, verosimile non videatur sapientioribus, & dum his videtur, non pluribus videatur, subest nova incertitudo atque contradictio. Utraque jam suboluit AZORIO *Inst. moral. L. II. c. 13.* evincenti, quod cum Legistæ tum Canonistæ disputaverint: utrum communis opinio sit definienda à loco, an à tempore, à numero, an ab autoritate, an à pluralitate politica, an classica atque scholastica?

## §. VIII.

Non parvum saltem augmentum est, quod juri jam satis cum incertitudine contendenti addiderunt tot interpretationes contrariæ Doctorum & glossarum Satellitum, cum si his fidem dederis, descendendum tibi sit ad arbitraria judicia & scepticismū juridicum. Quam circa legem unus distinxerit, illam alter ampliat, unus extendit, alter restrin-

*Ex Interpretum  
Varietate.*



restringit ac limitat, ut quot sint interpretes, totidem sint sensus legum & auctupia verborum. Gloriantur plerumque de usuali ac doctrinali Legum interpretatione, sed cum illa interpretes, ut pueri taxillis, ludunt interpretandique regulas ineptas tegunt & palliant. Nota est de regulis hermenevtices *Placciana controversia*, notus est in explicandis legibus cummulus regularum, quas, si exceperis pseudo hermenevticas, consulto reduxeris ad quadrigam. Nullum fere interpretationis axioma poterit afferi quod non nitatur saltem verisimilitudine, nec infinitas in se recipiat imitationes, adeo ut imbecillitas sit, tot vulgares regulas venditare pro infallibilibus. L. B. ab ECHT *de morum cum Fur. Scr. content. §. 35. COCCIJUS de eo quod just. est in dubio Sect. II. 34. sqq.*

## IX.

*Ex glossatorum auctoritate.*

Desudaverunt jam veteres in hac legum explicandarum provincia. In eruendis Verborum significationibus usi sunt glossatorum nugis. Historica status romani & germanici, perinde ac principiorum genuinorū philosophiæ ratio.



rationalis & moralis cognitione destituti, ipsi operosissimis regulis rem acutetigerunt nulli, etsi immensa *ALCIATI & MENOCHII de præsumptionibus* volumina anxie perlegeris. Quam bene vero ex his dissensionibus ac dubiis principiis interpretandi, incerta Jura in cathedris ac foris incrementa cœperint, facile divinaveris, si infinitos Interpretum commentarios distinctionum, consiliorum, ampliationum, limitationum, controversiarum, definitionum, correctionum, paratitlorum, decisionum, glossarum, expositionum, supplementorum, summarum atque dubiorum penitus rimatus fueris, in quibus neque principium neque exitum invenies, ac in tanta traditionum diversitate, casu obueniente, quo te veritas, ignorabis. Dic, quotusquisque unquam cohærentes a *Commentatoribus Legum* expectare poterit conclusiones, qui sibi invicem contrariantur in principiis? Sequitur nunc iste in interpretando communes regulas in artem redactas; hic æquitatis rationes, ille publicam utilitatem, plerique Juris romani sequuntur rationes,

B nes,



nes, quamvis finales Legum causas ignorent ac in germanorum Jura misere impingant. Communes receptæ dicuntur doctrinæ, quod jura statutaria ac provincialia sint strictæ interpretationis, ne quam minimum à Jure communi recedant; quod Principum beneficia latissimam requirant extensionem, quod in domesticis legibus explicandis opus sit principiis Juris peregrini romani; quod odiosa indigeant restrictione, & favorabilia, extensione; quod verba in testamentis præcipue, accipienda sint in propria significatione. Hæ quidem contentiones facile condonandæ sunt glossatoribus ingenuis ac laboriosis, qui destituebantur mediis judicium excolentibus, adeo, ut & ipsi saltem suis auditoribus non textus, sed, glossas, terreaque capita ac nates, laborem, nimirum ac memoriam, commenda-  
verint. Effictas itaque habemus innumeras male coherentes ac summe dubias textuum interpretationes, quarum contradictiones mire adauctæ sunt in conciliandis antinomiis. Cum enim pro evangelio acceperint, quod in  
uni-



universo Juris corpore non dentur Le-  
ges obstantes, si modo distinctio subtili-  
ter excogitetur; hinc andabatarū more  
sæpissime pugnam ingrediuntur, ut, si  
alter in Legum contradictionibus Pau-  
li partes defendendas susceperit, alter  
pro Ulpiani asserto, ceu pro focis ac  
aris pugnet, & uterque quidem ope  
subtilis distinctionis palmam victoriæ  
in conciliatione postulet. Fere credi-  
derim, interpretes persuasum sibi ha-  
buisse, quod Juris romani numerosis  
conditoribus una tantum indita fuerit  
anima, omnibusque ac singulis una  
eademque fuerit mentis operatio.

## §. X.

Nondum hic locus est subsistere in *Ex Legi-*  
recensione corruptelarum jurispruden- *bus parti-*  
tiæ. Non sufficit jurisprudentiam tot *cularibus,*  
dislenfibus & confusionibus, oriundis *provinci-*  
ex diversissimo Jure exposuisse, non *alibus,*  
fatis est, nunc provocasse ad leges do- *processi-*  
mesticas, capitula, canones, leges ro- *alibus.*  
manas, observantias collegiorum, præ-  
judiciorum virtutem, communes opi-  
niones Doctorum, Glossatorum, Ju-  
dicum, commentatorum & Interpre-  
tationum diversarum regulas & con-  
clusi-



clusiones ; accedunt adhuc ingentes  
 auctus incertitudinis ex domesticis le-  
 gibus novioribus, novissimis, com-  
 munibus, particularibus, specialissimis,  
 statutariis, municipalibus, ordinatio-  
 nibus processualibus atque provincia-  
 libus. Tantum enim abest ut hæ vari-  
 etatem & dissensus Legum praxium-  
 que tollant atque obtundant, ut potius,  
 in uno etiam municipio, ac in uno uni-  
 us Principis territorio & collegio ad  
 novas collisiones legumque commix-  
 tiones & dissensus viam pandant. Mi-  
 rum hoc nequit videri illis, qui intel-  
 lexerint, quod ordinationes Jurium  
 provinciarum singulares, meræ sint  
 versiones ac inconsiderata plagia  
 Juris canonici & romani, cujus utri-  
 usque juris placitis & processuum or-  
 dinationes superbiunt. Frustra itaque  
 ab his constantiam ac litium exopta-  
 tissam mortalitatem expectabis, quin  
 potius habebis novas causas conque-  
 rendi de litium ambagibus, atque pe-  
 riculis, præcipue si ad exempla provo-  
 caveris, quod sæpius litigantes propter  
 neglectas minutias processuales &  
 ordinationum sub justissimo justitiæ  
 clypeo



elypeo succubuerint. Quid? quod in proclivi sit, abundare camerae judicium Ordinationibus, sed nihilominus lites vix expirare ante dimidii seculi decursum. BRUKMANN *cons.* 15. n. 120. *cons.* 16. n. 47. Refert VULTEJUS *Vol. I. cons. marp.* 17. n. 6. *Vol. 3. cons.* 30. n. 41. se meminisse causarum, in quibus ad litis usque contestationem 38. annorum lustra, & usque ad responsum rei 75. anni præterfluxerint.

## §. XI.

Eadem incertitudo comitatur res judicatas. Vix enim probare poteris, idem factum, easdem circumstantias, eademque momenta in una eademque causa concurrere, ut ex eodem fundamento fiat decisio. Ne dicam de dissensu infinito collegiorum juridicorum, de frequenti contrarietate observantiae judicialis, aliis incommodis, quæ judici facultatem conferunt, lites pro arbitrio ex moribus patriis & extraneis, ex canonibus, legibus, glossis & praxi definiendi, decernendique non solum de controversiis privatorum, sed etiam de ipsis legibus. B. KESTNERUS *de defect. Jur. communis* §. 10. p. 8. Accedit,

*Ex rebus  
judicatis  
& Practi-  
corum auctoritate.*



quod inter *JCtos* autoritas *ita sentientium practicorum* utramque paginam absolvat, præripiatque ipsis legibus prærogativam. Non curant decem leges in contrarium, si invenerint casum apud Practicum *in terminis ac terminis terminantibus*, non respiciunt rationes, si adsint glossemata atque decisiones, immo, si ita, uti volunt, tradiderit PANORMITANUS, BARTOLUS, IMMOLA, atque ACCURSIUS; his primas partes deferunt, etiam si cum ratione & consultius tuiti fuissent Legis causam. Ingenua hæc est querela *Nath. SPORMACHERI de vulnerata justitia miseroque Jurisprudentiæ hodiernæ statu in administranda justitia p. 2. c. 2. 3. Tit. 5. p. 656.* ubi se meminisse fatetur, se aliquando legem & rationem allegasse, & tamen propter Doctorum autoritates ac opiniones nihil profecisse: Graviter EHEMIUS *Jur. Princip. Tit. 4. c. 4.* & SCOTUS *cons. 2. n. 24.* his moribus insultant, quibus omnia sursum atque deorsum feruntur, ut Justiniani effato *L. 2. ff. d. jure & fact. ignor. ut jus nullo non tempore finitum sit atque certum*, nunc nihil videatur falsius. §. XII.



## §. XII.

Sed ne quidem hic terminatur Ju- *Ex equi*  
 ris atque justitiæ infelix conditio. Pro- *ac stricti*  
 vocat unus ad æquitatem, alter ad jus *Juris col-*  
 expressum & limitatum, & quo pesti- *lisione.*  
 lentius nihil est, unus ad punctum Ju-  
 ris seu theoriam, & alter ad hodie-  
 nam praxin. Qui partus, sicuti nata-  
 les suos debet glossatoribus; ita incre-  
 menta ac educationem refert antistiti-  
 bus opinionum communium; perfe-  
 ctionem vero, officia atque virilem æ-  
 tatem, præjudiciorum amasiis & mæ-  
 cenatibus. Horum auxiliis hunc spu-  
 rium fœtum Juris, ad tantos honores  
 ascendisse putaverim, ut hodieque ad  
 gubernacula sedeat, & rebus judicatis  
 larvatus, ingentes errores & incon-  
 stantissima Jura perperam incrustet.  
 Verum quousque ille claves judicii te-  
 net, frustra optabimus Jurium certitu-  
 dinem, frustra expectabimus corru-  
 pti juris ac prolixitatis litium emenda-  
 tionem & repurgium. Ipsa enim hac  
 distinctione, quodlibet Jurium ac le-  
 gum argumentum etiam expressa san-  
 ctione subnixum, valore suo destitui-  
 tur, rotunda cum quadratis confun-



duntur & largissima manu incertitudi-  
 ni fenestræ aperiuntur. Volve Legis  
 interpretes, & mox ad nauseam usque  
 reperies, ita quidem se habere Legem  
 in theoria, at longe aliter in praxi. Ha-  
 bes hic novum indicium vulneratæ  
 causæ, ac incertæ justitiæ, cum theo-  
 ria juris, nullo vinculo cum praxi co-  
 hæreat, quæ tamen sine illa, mera e-  
 rit scientia juris formularia. Sed fieri  
 quidem aliter vix potuit, cum germania  
 juribus abundet, & si respexerit  
 theoreticus ad Leges, inveniatur diversi-  
 tatem ac contradictiones nequidem  
 subtiliter conciliandas. Practicus ve-  
 ro nititur etiam legum suarum autori-  
 tate atque observantia & uterque vi-  
 tium committit ex confusione vel i-  
 gnorantia. Et audiatis leguleji *Baldum*  
*vestrum* cujus vox glossata hæc est:  
*Quod in lege non cavetur, in praxi*  
*non habetur.* Audiatis axioma *Novel-*  
*le 118.* quod erubescendum vobis sit sine  
*lege, quidni contra Leges? loquentibus.*

## §. XIII.

*Ex theo-*  
*ria à pra-*  
*xi disse-*  
*rentiis.*

Quam vero absolum est, sejun-  
 gere praxin à theoria, quæ dædalo in-  
 vicem ordine ac amicissima harmonia  
 conne-



connecti debent ? Clamant omnes, praxin esse Juris ad factum applicationem, at si hæc est, non adversatur theoriæ. Vel rite enim leges applicuisti, & tum conspirat cum puncto juris; vel inconcinne ac perperam, & tum adest applicantium error, non adest praxis theoriæ contraria. Con-

svetudinem, inquis, introducere tamen jus legibus adversum; at introducit quidem, sed abrogat leges contrarias, & ubi tum est praxis theoriæ adversa? opus non est exemplis, cum hæc abunde alii adduxerint, ex quibus liquet, quod parvus foret labor, cunctis Legibus, hujusmodi armis, bellum indicere & valorem denegare.

GUNDLING *de transact. stabilit. & instabilit.* §. 42. §. 4. MAURITIUS

*Introd. ad prax. forens.* §. 8. p. 345. CO-

RATIUS *de Comm. opin. præf. n. 31.*

*L. 1. b. 1.* Habet hic foetus etiam plures partus adulterinos, tot nimirum speciales praxes, ut pene praxium multitudine æque graviter ac Legum varietate abundemus. Si enim ad

imitationem Jurisprudentiæ Antejustinianæ & Justinianæ, Jurispruden-



tiam nostram forensam in *ante Carpzovianam, Carpzovianam & postcarpzovianam*, vel si mavis, *Mevianam*, distinxeris, facile centuriam praxium diversarum compleveris, probaverisque, Jctis esse arbitrium Leges tollendi & ampliandi pro dignitate. Quæ hæresis iterum novas fissuras fecit in Scholis & Curiis. Quodsi enim unus rationem suæ doctrinæ & praxeos dederit deduxeritque ex Legistis, eo quod illos vulgo in civilibus præferamus; alter militabit pro canonistis, eò quod his impertiant in causis animæ & religionis, etiam, Juramentorum, matrimonii, usurarum aliarumque, quas fingunt, rerum spiritualium, prærogativam. Parvi vero laboris est, ex quovis argumento seculari vel civili, efformare per artificium papale politicum, causam ecclesiasticam & spirituales. Deinde provoca ad Commentatores, eo quod non ex gratia, odio atque effectu, ut Doctores consiliorum & responsorum scripsisse æstimentur; provocabit alter ad hos potius vel ideo, quod consilia deliberato animo magis concipiantur, spe-



specialiores quæstionum circumstantiæ curatius examinentur, majorique expendantur, ut famam autores sectentur, cura ac soliditate. At alii praxin suam corroboraturi te ablegabunt ad *terminos terminantes*, ad decisiones & ad numerum doctorum classicorum, qui ex professo causam pertractaverunt, cum his postponant omnes reliquos, quotquot sint, qui per transennam causæ meminerunt. **MASCARD** *conclus.* 1138. n. 11. **ALCIATUS** *Reg. J. præsumt.* 51. n. 2.

## §. XIV.

Gloriatur alius in scriptis eorum, qui sordes, pecunias & fortunam contempserunt; alius praxin sequitur, quam laudant antiquiores; alius & horum sententias senescere arbitratur, & recentiorum praxi usus, suam sententiam magis communem esse, quam communem dissentientium, relictis legibus ac rationibus, plerumque vociferatur. Placet itaque clausula **TIRAQUELLI**, qua postquam in uno eodemque argumento sexcentos Doctores idem sentientes in aciem eduxit accumulavitque, quam sæpissime usus est, *nihil*, inquit, in-

entis,

*Ex praxi-  
um vari-  
etate.*



entis, in jure nostraque praxi non est ambiguum, quod ut videas, volo tibi plures enarrare doctores & practicos, qui in una praxi & opinione prorsus sibi sunt contrarii. At vero, si circa leges, & non solum circa earum intellectum, & interpretationem, sed & quod fufius alibi dicetur, circa earum autoritatem dubii hæreamus; tum omne solatium supererit in probatilitate, ex qua tamen certitudinem expectet mælibæus. Dixerunt Veteres, valere plus favorem in judice, quam legem in codice, quod idem est, quod supra diximus, facta esse judicia plerumque arbitraria ac lites committi etiam nunc voluntati judicantium, qui etiam si sint religiosi scelerisque puri, juris tamen colore ac specie, bona fide & absque dolo ad delinquendum invitantur. Facile quippe est, pro causa, quam amplectuntur, reperire decisionem, praxin, rationem, Legem vel argumentum legis, quibus illam sustineant. Et cum omne argumentum sit controversi juris pendeatque ex utraque parte, illis etiam, qui ipso Jure clientes sublevare cupiunt, quique dubia ac leges serio



rio percontantur, legum maxima multitudo & incertitudo imponunt, ut, quæ primum dubia ipsis videbantur, nunc reputare incipiant pro evangeliiis, ut vera esse confidant, quæ vera cupiunt, vel vi præjudiciorum & opinionum, vera esse animadvertunt. Hæ sunt querelæ de corrupta Jurisprudencia, de Jurium ac justitiæ incertitudine, variatione & prolixitate. Nec mirari hæc incommoda poteris, si tibi constiterint singulorum rationes.

## §. XV.

Fac jam, te incidisse cum nonne- mine in controversiam, & ad obtinendam justitiæ decisionem confugisse ad tribunalia; implores nunc Jura ac Leges, sed patientia stipatus velim expectes justitiam, donec hæc primum per mores, patria instituta & observantias, tum per Jura statutaria ac provincialia, porro per universales, illis deficientibus, provinciæ consuetudines, ac in harum carentia, per universales imperii germanici recessuum constitutiones, demumque per Juris peregrini canonici & romani sanctiones fuerit divagata. Legum, inquis,

*Summa  
corruptæ  
Juris-  
prudencia*



inquis, hæc est farrago & copia, at est omnino, sed maxima cum Juris atque justitiæ jactura, cum ex illarum multitudine ingentia in rempublicam derivata sint incommoda. Ad sunt Legum Juriumque diversitates, in uno casu differentes decisiones, opinionum circa Legum sensum, autoritatem & applicationem divortia, ad sunt Jurium collisiones, collationes, pugnæ, mixturæ, innumeræ lites, disputationes atque Juris analogici fictiones Legumque confusiones, ad sunt contrarietates, & quæ ex Legum ingenti acervo non possunt non oriri, theoriæ & praxeos differentia, verbo, innumeræ in ipso Jure Jurium incertitudines, & quæ hanc comitantur, tædiosæ litium atque processuum protractiones tantum non immortales. Præcipue, cum his intrinsicis & externis Legum Juriumque malis, Jcti in foris demum complementum addant ipsa glossarum autoritate, communibus sententiis, observantiis, præjudiciis collegiorum atque responsis, ut alios nunc taceam Jurisprudentiæ forensis ad litium protractionem necessario facientes dete-  
ctus



Etus & errores. FABER *de Error.*  
*pragmat. præf.* ZIGLER *Dicast. cond.* 32.  
 & 46. UNVERFAEHRT *pædia Jur.*  
 c. 3. HOTTOMANN *Antitribon.* c. 17.  
 Bac. de VERULAMIO *de certitud.*  
*leg. aphor.* 78 NATHEN *de justit. Vul-*  
*ner.* P. 1. Tit. 1. c. 2. Tit. b. 1. n. 2. & in  
*præfatione Decisionum* MYNSINGE-  
 RUS.

§. XVI.

Abstini hucusque in neſtendis hujus argumenti queſelis ab autorita-  
 tibus, quas nunc in gratiam eorum, qui allegatis magis quam rationibus, etiam in rebus evidenter veris, ſapere  
 fueverunt, recitabo. Inprimis ideo ne videar gratis aſſeruiſſe, quod ci-  
 ves, ſicuti flagitiis, ita & dubiis legibus atque incerta juſtitia ſuccumbant. Verba hæc non mea ſunt, ſed MI-  
 CHAELIS MONTAGINE L. 1. *des*  
*essais politiques* c. 73. Prodeat itaque primus in conſpectum Archiepiſcopus Remenſis HINC-  
 MARUS, *Quando,* in-  
 inquiens in admonitione ad Episcopos regni c. 15. T. 2. p. 224. ſperant aliquid  
 lucrari judicantes, ad legem ſe con-  
 vertunt: quando vero per legem non  
 eſt-

*Testimo-*  
*nia JCto-*  
*rum de*  
*Jurispru-*  
*dentia, in-*  
*certitudi-*  
*ne & cor-*  
*ruptalis.*

*Et qui-*  
*dem Hi-*  
*nemari.*



estmant acquirere, ad capitula con-  
fugiunt: Sicque interdum fit, ut nec  
capitula nec lex pleniter conserventur  
sed pro nihilo habeantur, & quæ sunt  
ejusdem tenoris in *Ejusdem epistolæ ad  
regem de cercendo raptu viduarum &  
sanctimonialium c. 12. T. 11. op. p. 234.*  
Huic à latere merito est, ejusdem ævi  
Lugdunensis archiepiscopus AGO-  
*Agobardi.* BARDUS, cujus querela in *Libro ad  
Ludov. Pium T. 1. operum à BALU-  
ZIO editorum c. 4. p. 110.* hæc est:  
Cupio per pietatem vestram nosse, si  
non huic tantæ divinæ operationis uni-  
tati aliquid obsistat tanta diversitas  
legum, quanta non solum in singulis  
regionibus aut civitatibus, sed etiam  
in multis domibus habetur. Sæpius  
quinque hominum nullus communem  
legem cum altero habet exterius in re-  
bus transitoriis, licet interius in rebus  
perennibus una Christi lege teneantur.  
Sed & ne horum quidem testimonia  
ita nude debent recitari.

Examen  
testimonii  
utriusque

§. XVI.

Uterque enim vixit sub Francicis  
Imperatoribus, quorum ævo, si co-  
dicem Theodosianum ejusque brevi-  
arium exceperis, nullæ peregrinæ Ju-  
rium



rium Pontificis atque Cæsaris Romani merces germanis cognitæ fuerunt & in germaniam invec̄tæ. Nihilominus de varietate legum Germanicarum, cujus etiam meminit WITICHIN- DUS *L. 1. Annal. in Script. rerum Germ. Meibom. T. 1. p. 634.* jam tum auditæ sunt querelæ, utut domesticis ac paucis saltem legibus, non aliunde conductis, usi sint cives. Jam vellem, computum faceres ad ævum usque, quo vivimus &, quod reor, locum esse, comperies, additioni. At facile de assertis Archiepiscoporum pos- ses dubitare, cum ex legibus veterum majorum constet, quod cuivis popu- lo secundum domesticam legem vi- vendi libertas fuerit relicta, adeo ut judicantibus abscissa vaga fuerit facul- tas, secundum leges alterius gentis, sui- que vel partium arbitrium controver- sias dijudicandi. MARCULPHUS *in Formulis ed. Lindenbrog, form. 32. p. 1232. Leg. Burgund. Tit. LV. l. 2. Leg. Longob. L. 1. Tit. 39. l. 2.* Verum sta- bit utriusque fides, si ex illo ævo oc- casionem commixtionis Legum evol- verim, Salva erat cuique genti sua

C

san



sanctio, & ne quidem devictis dene-  
gabatur libertas propriis Legibus stan-  
di vivendique. Erat Wisigothis Lex  
Eurici, Burgundionibus Lex Gundo-  
boda, Salica Francis. Ceteras taceo. ISI-  
DORUS *ad an. 504.* GOTHOFRED  
*proleg. Cod. Theod. c. 5. 6. Gregor. TU-*  
*RONENSIS L. 2. histor. franc. c. 33.*  
*L. 9. c. 2. 9.* HERTIUS *Not. regni*  
*franc. p. 171.* Omnes Leges prin-  
cipio facile distingvi ac in numera-  
to haberi poterant; Sed evenit tamen, ut  
temporis progressu pro personarum  
litigantium varietate usus Jurium faci-  
le in diversitatem abiret. Jam Legibus  
renunciarunt gentes, jam sanctiones  
abrogarunt ac sustulerunt, & quod  
adversus HADR. VALESIUM jam  
alii monuerunt, sæpius adauxerunt  
novis placitis ac constitutionibus  
GABR. DANIEL *sur la loix salique*  
*L. 3. Rer. franc. diff. 3. p. 119.* Inde est,  
quod in una sæpius provincia jus varia-  
verit, & dum in ipsa Burgundiones  
simul ac Franci, Romani ac plures  
Nationes commoratae fuerint, ibidem  
capitularium, Legum salicarum, ri-  
puariarum ceu Legum communium,  
tum,



tum etiam, ceu particularium, Legis Gundæbaldæ, Romanæ, ac cujus demum non? vigor esse debuerit & usus, ex quibus non potuit non ansa suppeditari confusionibus. BALUZIUS Tom. 2. *Captular franc.* p. 754. CONRINGIUS *de Jur. German.* c. 7. Quod magis est, sigillatim inter ipsas Leges cujuscunque gentis varietatem jurium fuisse, exempli instar, Francorum canones, Leges ecclesiasticæ, seculares, universales sive ad universum regnum pertinentes, particulares item abunde evincunt, ut etiam circa has AGOBARDUS *in libro adversus Legem Gundebaldi c. 14. in f.* optaverit; *Utinam omnipotenti placeret, franci sub uno rege una omnes regerentur lege, cum hoc valiturum sit ad concordiam civitatis DEI & æquitatem populorum.* Accedit, quod singulares leges populorum regni francici à Dagoberto ac Carolo Magno sæpius sint interpolatæ, auctæ ac repurgatæ, ut nunc de præceptis atque diplomatibus Regum, vim Legum habentibus hic nihil addam. P. de MARCAL. 7. *de concord. regni & sacerdot.* c. 20. §. 7. LAMBE-  
C 2 CIUS



CIUS L, 2. *Bibl. Cæsar. annal. Franc. a. 802. c. 5.* CANGIUS *Glossar. voce, Lex Romana.* At utinam nihilominus in hac quidem conditione Jura substitissent nec ruissent in præcipitia atque deterius. Quamvis enim Leges germanorum & postea passæ sint metamorphosin, ut fere paulatim in valore esse desierint; patet tamen ex LEHMANNO & GOLDASTO, quod plures Cæsares Civibus consuetudines domesticas confirmaverint, extiterintque rarissime lites judiciales, nisi exiguo temporis ambitu circumseptæ, donec per Jura Canonica atque romana Jus atque Justitia in copiosissimam Incertitudinis prolixitatem inciderint excreverintque.

## §. XVII.

*Testimonium Sobii.*

Audiamus sub Carolo Vto conquerentem de Jurium Incertitudine atque Justitiæ administratione JAC. SOBIUM, Oratione ad Imperatorem apud FREHERUM Tom. III. p. 188. *O si videres, quot technæ, quot limæ seu incertitudines, Juris corpori perniciose sint adjectæ, ac improbe indies sine modo confingantur adeo ut cuique satius fue-*  
rit



*rit causa cadere, quæ habet amittere, quam lites sequi in NB. quartum traductas heredem, & tum demum summi Juris summam expectare malitiam. Cujus asserti veritatem si penitus rimari velis, ad historiam Jurium, canonici ac romani, jam tum vigentium, recurre,*

## §. XVIII.

Alium nunc excito, quem Rabu- *Cavalli.*  
læ bene norunt. Est ille HIER. CÆ-  
VALLUS *in proæmio speculi aurei &*  
*n. 120. & 148. ita judicans: Melius*  
*nunc esset, ut respublica relictis legibus*  
*& canonicis sanctionibus absque glos-*  
*sa & doctorum interpretationibus gu-*  
*bernaretur, cum ex his dubia fiant jura,*  
*limitata, ac ampliata, & ex tot opi-*  
*nionibus tota respublica offendatur &*  
*nunquam in pace versetur.* Jurium  
incertitudinem ex limitationibus ac  
ampliamentibus auctam fuisse, recte  
existimat. Quoties certe Jcti, genui-  
nis Jurisprudentiæ legislativiæ princi-  
piis, politices, historiarum Juriumque  
& status cognitione destituti, limitatio-  
nibus, sublimitationibus, & extensioni-  
bus utuntur, toties perinde est, ac si



circulatorum instar urendo, secando, salivando ac mutilando justitiæ & Legibus dolores & vulnera infligunt.

§. XIX.

*Kulpisii.*

Idem confessus est KULPISIUS in Opusculo *de German. Legum autor.* p. 427. Sane, inquit, quod sacrarum litterarum liquido fonti traditiones humane damnum attulerunt, ut inde turbaretur magis ille, quam illustraretur; idem de Jurium ampliationibus ac limitationibus jure meritoque dicere possumus: quid enim omnis ista moles aliud operata est, quam ut jus serie naturali coherens, discerptum, vagum, dubium imo nullum redderetur. Deprecor necessitatem excusandi verba illorum, qui de Jurium Incertitudine ex Legum multitudine & dubia Interpretatione ac autoritate oriunda, prolixius sunt conquesti. Evolvantur CISNERUS T. 2. operis *Duarenii præfat.* STRYKIUS *ad præfat. Brunnemanni præf.* LUDOV. VIVES L. 7. *de caus. corr. artium:* CHOKIER *Thes. polit. L. 2. c. 4. p. 60. n. 3.* ARNISÆUS L. 1. *pol. c. 17.* CAMPANELLA *de recta stud. rat. c. 4. art. 8.* SCHONBORN L. 3. *pol. c. 7. de*  
VE-



VERULAMIO *augm. Scient. L. 8. c. 3.*  
 Excitabo ex tanto agmine Quinque vi-  
 ros, quibus Jurisprudencia majorem  
 partem debet suæ Sanitatis.

§. XX.

Primus est illustris THOMAS-*Thomasii.*  
 US qui *in annotationibus ad Monzambanum c. 5. §. 13. p. 13. p. 419. lit. b. ad Testamentum Melchioris Offii p. 483. ingenue confitetur*, quod hodieque vivamus in Summa Juris incertitudine, adeo ut non solum utamur Juris Romani, canonici, consuetudinum, statutorum singularum provinciarum atque urbium fere inter se plurimum discrepantium cinno atque congerie, sed & deambulemus inter Jurium confusionem, infinitas collegiorum juridicorum contradictiones, atque dissensus, communium opinionum & respon-  
 forum, ut vix tam absurda fingi possit sententia à Rabulis & Legulejis, quæ non aliquando ab insigni Doctore aut à Collegio Jureconsultorum fuerit defensa. Quæ singula fufius docuit in *disputationibus* quæ faciunt ad emendandam Jurisprudenciam; *in Orationibus*, *in den Juristischen Handeln*; &  
 C 4 in



in aliis Scriptis , quorum nomina inter omnes nota sunt , quibus in pretio est Jurisprudencia solidior , Jurisprudencia ipsa & vera , non Jurisprudenciae spectrum , sceleton & cadaver.

§. XXI.

Gribneri.

Alter est excellentissimus Jctus & Confiliarius GRIBNERUS. Querae summa in opusculo *de Jure incerto ex dubia Legum autoritate oriundo* §. 4. 5. & fin. huc redit : Quod eo nunc res redierit , ut tantum non incerta sint omnia , & non soli privati , verum etiam ipsi , qui jus dicunt ac respondent , non certioribus principiis insistant , nec inter se modo sed & à se ipsis dissentiant. Ut itaque voto opus sit , ut post hodiernam Juris incerti epocham redeat aetas Jurisprudenciae certioris , ut componantur aut minuantur Jctorum dissensiones , & consilia illorum , qui Legum emendationi incumbunt , feliciter difficultates superent , cum magna alias ac frequens Reipublicae sit maneatque infelicitas , Jus habere vagum , iniquum , nec ad utilitatem communem accommodatum.

§. XXII.



## §. XXII.

Engel-  
brechtii.

Sequuntur nunc verba egregii *Jcti*  
**CHRISTOPH. JOH. CONRADI EN-**  
**GELBRECHTII** in *cultissima ad Lecti-*  
*ones invitatione de causis impediti suc-*  
*cessus tentatae Emend. Iust. p. 20.*  
*24. & de fati Jurispr. p. 10.* Opus,  
 inquit omnino est, ut ante omnia ad  
 Justitiæ emendationem faciliorem *Ju-*  
*ris Incertitudo* tollatur & *inutilis Le-*  
*gum multitudo* amputetur. Ita nimrum  
 hodie adhuc est: Unus patrium Jus, al-  
 ter romanum, unus Leges, alter ca-  
 nones allegat, hic ad punctum Juris, il-  
 le ad praxin provocat, unde non pos-  
 sunt non *lites mirifice multiplicari &*  
*in infinitum protrahi.* *Mixtura e-*  
*nim juriū indeque proveniens Juris-*  
*prudentiæ incertitudo potissima est cau-*  
*sa diuturnitatis & multitudinis litium.*  
 Et sic & *judici & partibus earumque*  
*advocatis occasio præbetur, sub specie ju-*  
*ris cavillandi commodeque latebrosas*  
*& versatiles ambages consecrandi.*  
 Quin & licet *judex serio velit, non ta-*  
*men adeo facile ob discrepantes inde*  
*provenientes sententias, lites expedire*  
*atque finire potest.* Et quod si etiam di-



cit Idem V. Cl. in *Examine vulgar. th. & prax. dist. p. 3.* nostri seculi mores penitus inspiciamus, parum quoque abest, quin propter varias, interpretum de *Jurium in germaniæ foris obtinentium auctoritate, sententias, jus nostrum, incertum judicia arbitraria esse videantur.* Idem innuunt verba Jure consultissimi & illustris Viri Dn. HOFFMANNI in *Conject. polit. de leg. germ. Orig. Per. III. p. 20. b.* Et fuit, inquit, multifariarum Legum ac peregrinarum multitudo maximi incommodi origo, quod Jurisprudentia germana in hunc usque diem afflictæ sit, ut mole diversarum legum & consuetudinum obruta fuerit & in uno casu diversæ Legum dispositiones occurrant, quæ cum sæpius inter se collidant, miserum statum jurisprudentiæ nostræ satis produnt. Concinit nec minus convenienter Cel. KESTNERUS in *problem. de Jur. commun. def. p. 14. p. 67.* Sufficiens constare credo, quam male conturbatæ Jurisprudentiæ status sese habeat, cum Germanorum legibus & moribus posthabitis vel mixtis cum Jure Canonico & Justiniano, Incertitudinem Juris ac tædiositatem processus

Hoffmanni.

Kestneri.



*cessus augeamus & Civium potentiam, quod Papa cupit, eo ipso imminuamus. Omnium horum querelae ad Te nunc delatae, si nondum sufficiant, plures in aures Tibi dicent illustris de WEDDERKOP disp. Heidelb. de incertitudine Furis & remed. adversus eam, & JUSTINUS NOMICUS in consilio novissimo de tollenda Furis incertitudine & ambiguitate.*

## §. XXIII.

Audiamus & nunc querelas de depravata justitiæ administratione atque processuum prolixitate, cujus magna pars debetur Jurium Incertitudini. *Deplorandi inquit VENTURA de VALENTIIS in Parthenlitig. L. I. c. 1. n. 12. sunt nosiri temporis mores. Lites olim adeo breves & rare fuerunt ut judices plus temporis quam processus haberent, & pauci reperirentur actuarii & alii, qui magistratus circumstarent; at hodie lites tam vage sunt ac prolixæ, ut ad exstirpandum non sufficiant ministri, sed crescant instar hydræ, cujus caput si detruncetur, septem alia resurgunt. ad. OLDENKOPP præf. ad obs. crim. LEUNCLAV paratitl.*

*Testimonia de Justitia protractione atque processuum tediiositate.*

*Ventura.*

*Fur.*



*Jur. proleg.* PINCIER *de Jurisdict.*  
*c. 2. n. 14.* VIGELIUS *method. jur.*  
*Civ. p. 308 seq.*

## XXIV.

*Gulichii.*

Querela JO. DIET. à GULICH.  
*c. II §. I. de Vero Romani Imperii, hæc est.*  
 Es ist in den Reichsgesetzen / so wohl  
 der gemeinen Rechte / als auff dem  
 Reichstag de anno 1445. heilsamlig  
 verordnet / daß keine sache über 3. Jahr  
 im Bericht hängen bleiben und die  
 schleunige Justitz einem jeden soll  
 administrirt werden. Allein / wie  
 jener Franços saget / ist es ein schreck-  
 lich Ding sich in einen proces begeben /  
 es ist solches eine langwierige Reise oh-  
 ne zurückkehren / eine Reue ohne mit-  
 tel / deswegen führet Ludovicus de  
 Parthema die Klage / daß es vormahls  
 bey den Heyden sowohl beforderte  
 processe gegeben / daß auch noch in dem  
 Heydenthum in America die justitz  
 eher als unter den Christen befördert  
 wird / wie davon in der *Commitiologia*  
*Part. 4. p. 284.* mit mehrern zulesen ist.

*Salviani.*

Querelas SALVIANI & SARISBERI-  
 ENSIS refert GRUTERUS in *Poly-*  
*anthea* p. 943. *sqq.* & quem delectant  
 mora.



moralistarum & Theologorum simu- *Morali-*  
 lac Doctorum & Cæsarum tetimonia, *starum.*  
 adeat FRITSCHIUM *de Justit. Jud.*  
*in op. de Christian. p. 44. 69.* AL-  
 BRECHTI *Tub novissimam p. 331.*  
 PETRUM BLEBENSEM *in LANGII*  
*floril. p. 1551.* ac Imperatorem FRIDE- *Fridericl*  
 RICUM III. apud SPEIDELIUM *in III.*  
*spec. var. obs. sub vocibus : Jcti &*  
*Doctores.* Ut in notorio, cujus Doctor  
 experientia est, sexcentos alios atque  
 ubique obvios prætereamus.

## CAPUT II.

DE ORIGINE CORRUPTÆ JURISPRU-  
 DENTÆ ET JUSTITIÆ.

### §. I.

**P**Aulo sollicitiori studio opus est in *Inquiri-*  
 eruenda origine ac indicando *tur in hi-*  
 progressu Jurisprudentiæ ex Le- *storian*  
 gum multitudine Juriumque Incertitu- *Jurispru-*  
 dine & processuum protractione cor- *dentia cor-*  
 ruptæ & conturbatæ. Vix enim Jcti *ruptæ.*  
 de emendandis Jurisprudentiæ nævis  
 solliciti, ægrotanti Justitiæ aptam me-  
 dalam debunt parabuntque Medicinam,  
 nisi



nisi originem morborum curate perspexerint, caverintque, ne cura exterioribus saltem applicetur vulneribus, & radix malorum nullo modo tollatur. Apposite in hanc rem scripsit jurium romanorum versatissimus SCHULTINGIUS *in oratione de Jurisprudencia historica, quam Jurisprudencia veteri antejustinianæ* subjecit p. 810. quod spectrum Jurisprudentiæ sectentur omnes, qui ex Historia rerum variarum, juriumque & defectuum origines non didicissent. Una quidem est justitia, unum jus est atque cuique suum, sed lubrico fundamento spes tua innititur, si tibi persuaseris, quod jus & justitia immunes sint à vicissitudinibus, quibus sublunaria subjacent omnia. Cum enim status mutetur varietque rerum faciem; diversam etiam actionum directrix, Juris administratio, circa tuum & meum induit figuram. Nisi superius dicta sufficiant, controversiæ romanorum, nunc ex legibus Regiis, nunc ex græcorum juribus, ex jure populari, ex constitutionibus Imperatoriis, ex lure prætorio nunc decidendæ, Te hujus asserti facile convin-

cunt.



cunt. Ordior rem à Germanorum simplicitate ac moribus. Quousque enim illis steterunt vixeruntque majores, eousque simplici quoque justitiæ administrationi litaverunt, & fora nullo strepitu forensi, nullis ambagibus, inutilibus formulis nullis, neque carminibus repleverunt ineptis.

## §. II.

Non est, ut ad vanitates historiæ antiquissimæ adscendam, ac fabulas vel res sublestæ fidei repetam instar veritatum. Exsultent alii in his caliginibus ac conflent ex illis præcedentias, prærogativas & prætensiones Principum & privatorum, ducant in glorium, gentium stirpiumque natales quærere in ævo recentiori; Glorientur in casis Romuli, Perleoniorum, Atestinorum, Columnesiorum, Ursinorum, Agilolfingorum. Splendido ordine majores Trojanos & milites Alexandri enumerent; per me ad Noæ arcam ascendere licebit, cum ignorare malim, quam fingere. Interim conjecturis locus est, quod germani, etiam ante Julii Cæsaris ævum, non scripto jure, justitia simplici, instructi fuerint, perinde ac tempore *Taciti*. Frustra tamen jurispru-

*Origo non pendet ex ævo ante-Juliano.*



prudentiæ atque judiciorum indolem  
 determinate requires. Nec ad Te nec  
 ullos pervenit *genus*, quo utebantur  
 germani, *annalium*, quod, etiamsi ex-  
 staret perhibente AVENTINO, parum  
 à me impetraret fidei, ac in tot seculo-  
 rum decursu, utilitatis. Etiamsi enim ex  
 TARQUINIO PRISCO, PLUTAR-  
 CO, FLORO, VELLEJO atque PI-  
 CHERIA appareat, germanos omnino  
 Romanis innotuisse; plus quam cimbricis  
 nihilominus tenebris omnia, quæ  
 ad nos transfierunt de cimbrico bello,  
 involuta sunt testrimonia. STEPH.  
 PICHIIUS *in fastis* f. 83. SIGONIUS  
*Comment. in capitol. monum. ad a. u. c.*  
 531. f. 59. PONTANUS *de bello Cimbr.*  
 p. 19. CELLARIUS *de Cimbris & Teu-*  
*ton.* p. 2. & *Cel.* MOLLER *Introd. in*  
*Hist. Chers. Cimbr. præf.* p. 38. Con-  
 jector saltim, vixisse sine servitutis ju-  
 go Majores secundum Leges societa-  
 tis & Reipublicæ, paruisse præfectis,  
 cum OROSIO, EUTROPIOQUE te-  
 stibus, belli magis quam pacis negotiis  
 incubuerint, paruisse quoque eo-  
 usque judiciis, quousque statui  
 naturali ac juri talionis nullus fue-  
 fue-



fuerit iocus. Ex sacro illorum cultu, aliquid imperii habente, facile est ad animadvertendum, quod legislatoriâ potestate imponi sibi passi fuerint, habuerintque Druidibus, perinde ac Romani, Romulo auctore, Sacerdotibus, cultum & obsequium.

## §. III.

*Nec ex  
seculo Ju-  
liano.*

Evidentiora sunt documenta de moribus ac felici facilis justitiæ apud germanos, pro genio tamen istius temporis, administratione ad seculum usque quintum. Quamvis enim in hoc argumento Scriptores non una omnes fide ac harmonia scripserint; **CONRINGIUS** de *Judic. reip. germ. c. 7.* quamvis etiam **TACITO** per omnia, minimum in Germanorum Deorum, quos ex Mercurio, Marte, Hercule ac Ifide finxit, historiæ fides habenda sit; **CLERICUS** *arte Crit. P. 2. Sect. 1 c. 13. §. 11. & 12.* **VOSSIUS** de *Or. & progr. Idol. L. 1, c. 38. p. 104. Cl. Dn. ECKARDUS* *inaug. diss. de præst. stud. Etimologici;* quamvis & is in designandis germano-

D

rum



rum moribus sæpius sibi contradixerit adscripseritque universæ genti, quæ huic populo propria erant speciatim; facile tamen hæc condonanda erunt auctori, cui de universa, interiori præcipue, germania, nec de Transalbinis constitit, fuitque hæc saltem cura, ut bona fide relata referat, & germanorum ac Romanorum mores maxime inter se dissidentes invicem comparet.

## §. IV.

*An ex se-  
culis pri-  
mis us-  
que ad Se-  
culum V.*

Illud satis certum est, habuisse in his *Seculis ad quintum* usque Cives nullas *Leges scriptas* ac Jurium Justitiæque incertitudinem. Cum enim non ex-  
stiterint Leges scriptæ, quid opus fuit  
Iuris ac Interpretibus? quid opus re-  
sponsis atque glossis? Composuerunt  
lites ex bono & simplici æquitate, igno-  
rarunt subtilitates legum juriumque  
apices & acumina, & ubi tunc usus  
solennitatum, actionum, fatalium? Quis  
dubitaverit, lites judiciales parum tunc  
temporis fuisse frequentes? Tantæ  
enim litigandi occasiones ac segetes,  
quæ quidem in Republica Romana ob-  
tinuere, inauditæ fuerunt apud ger-  
manos, adeo ut ex SALVIANO notet

GOL-



**GOLDASTUS** *L. 2. de major. c. 16. §. 6.* quod **TACITUS** mores germanorum Romanis prætulit, sibiloque exceperit recensendo priores, ipsas Latinorum judicandi rationes. Commercium ignorabant Germani & infimul controversias cambiales; sobrietati ac castitati studentes, rixas evitabant ac controversias. Nullus apud illos injuriarum processus, nullæ in judiciis sordes, simplex erat gens, agricultura ac pecuaria contenta, jugi impatiens, libertati præcipue inhians, non alieni cupida, non invidens, a Romanorum astutia, ambitione, vivendi ratione ac judiciorum statu remotissima. Cessabant itaque testamenta, litium judicialium fomites, & simul carebant tot controversiis, quibus hodie adeo circumdati sumus, ut fere ex argumento Testamentorum de feliciore rerum statu desperandum esse putaverit **B. SAM. STRYKIUS** *in Caut. Testam. c. 1.* Ipse **TACITUS** *de mor. germ. c. 5. 19. 20. 26.* testis est, quod nemo Germanorum corruptor seculi vocandus sit, quod argenti auri-que rarior usus exstiterit, quod fœnus agitare, & in usus extendere ignoraverint,



verint, habuerintque certos semper heredes. Hinc frustra apud illos quæfiveris tot contractuum distinctiones, cum fide ac consensu semper convenerint, fuerintque usi consensuali ac permutationis contractu. Nullæ itaque Germanis de usuris altercationes, nullæ circa ultimas voluntates rixæ, ut alia juriæ capita, quoad homines proprios, **fer** vos, filios, carentiam proportionis inter dotem & donationes propter nuptias, conjuges, divortia atque tutelas, hic taceam, in quibus secuti sunt rationem, æquitatem ac sensum communem, minime formulas ac apices Romanorum. POTGIESER *de cond. serv. germ. c. 2. §. 7.* HERTIUS *Not. Pop. germ. P. I. c. 3. §. 3. c. 4. §. 7. §. V.*

*Continuatio & explicatio.*

Quamvis vero aliquando extiterint in judiciis, quibus Senes præerant, actiones seu lites, tantum tamen abest, ut litium diuturnitati operam dederint, laboraverintque juris incertitudine; ut potius illas citissime citra lucri cupidinem, citra Legum diversitatem ac citra processus Summarii vel ordinarii structuram expediverint. Neque verum est, prout Tutor Bata-

vus



vus cavillabatur , egisse germanos cuncta ex libidine, cum testis sit CÆSAR *de B. G. L. 6. c. 23.* quod Jurisdictionis limitibus non caruerint, sed habuerint magistratus & principes electos in conciliis , qui ordinato satis procedendi modo per pagos vicosque inter suos jus dixerint, ac additis ex plebe comitibus in consilium, controversias minuerint irrogaverintque in delinquentes pœnas. *V. Cl. ac Exc. B. G. STRUVIUS Syntagm. Hist. Germ. Diff. III. §. 20.* Immo tam tenaces fuerunt Germani Legum , carminum versiculis, qui hinc *Gesetze* vocantur, inclusarum, ut apud illos in proverbium abierit, *multos judices ac multa judicia multorum jurium litiumque esse parentes.* Refert FLORUS *L. 4. Epitom. hist. rom. c. 12.* quod interemto Varo, qui apud Cheruscas more Romanorum judicia instruxerat, germani mox capitali odio in causarum patronos sævierint amputaverintque his linguas ac manus. CONRING *de judicib. reip. germ. th. 2. 17.* VELLEJUS *Hist. L. 2. c. 11.* Absit tamen ex asserta hac facili vivendi, administrandæque



justitiæ ratione, inferre, caruisse germanos nævis ac vitiis. Tanta me in majores non rapit superstitio: quamvis **CLUVERUS** *germ. ant. L. 1. c. 20. c. 22.* nimis religiose scripserit, *viguisse apud germanos ethnicos aureum seculum, ac à rerum omnium Domino, Jesu Christo ejusque apostolis instructos fuisse, verum etiam DEum in Trinitate sub schematibus coluisse.* In hac persuasione illum secuti sunt **MASIUS** *in antiquitatibus mecklenburgicis* & **LAURENTIUS** *in Doringicis originibus*, ut, quoad alias, præcipue Americanas gentes, nunc de eadem superstitione **KIRCHERI**, **MENDOZÆ**, **BENZONIS**, **LÆRII**, **GALEI**, **PFANNERI**, **HULSEMANNI** ac **MOEBII** ne verbulum quidem addam. *vid. HACHENBERG German. med. Diff. III. §. 1.* Recensendis Germanorum vitiis hic non immorabor, quamvis existimen, illos ex ignorantia & defectu occasionis potius, quam contemptu, à vitiis sæpius abstinuisse, nec exculpandos esse ab abusu excursionum & deprædationum, uti quidem videntur *auctori der Vorbereitung*



zu der Ostfränkischen *special histo-*  
*rie c. 1. p. 21. WERLHOF. Not. S.R.F.*  
*enucl. L. 1. c. 2. §. 40.*

§. VI.

Parum postea recesserunt Ger-  
mani à simplici, in jure servando di-  
cendoque, conditione. Quamvis e-  
nim nunc Seculo Vto scriptis Legibus  
uti cœperint Germani, ac Francorum  
Legibus Salicis, Ripuariorum legibus,  
tum & Alemannorum, Thuringorum,  
Bajuvariorum, Burgundionum, Fri-  
sionum, Westphalorum, Anglionum,  
Werinorum, Theutonum, Saxonum,  
Slavorumque legibus, Lege Hordalia  
feu apparenti, judiciis, capitulis ac ca-  
pitularibus non solum Jurisprudentia  
fuerit accumulata; verum & Legibus  
Nationum germanicarum extra ger-  
maniam in Italia & galliis alibique se-  
des figentium, sigillatim Gothorum,  
Wisigothorum, Ostrogothorum, Lon-  
gobardorum & Anglo Saxonum, in-  
structa; tuta tamen mansit ab invasio-  
ne incertitudinis ac omnimodæ cor-  
ruptionis. Illud quidem de Ostgo-  
this apud talos, & de Wisigothis, post  
fata Alarici apud Hispanos commo-

*De statu*  
*Juris &*  
*Justitiæ à*  
*Sec. V. us-*  
*que ad*  
*VIII.*



rantibus testati sunt CUJACIUS *ad 2. F. XI.* & GOTHOFREDUS *Proleg. ad cod. Theodos. c. 3. 5. 6.* quod Eurici ac Theuderici jussu ab usu legum romanarum non abstinuerint, quin potius breviario Codicis Theodosiani ac Aniani, morem gesserint; verum fuit hæc status ratio non tanti valoris atque effectus, ut gothicis legibus originariis injuriam fecerit derivaveritque simul commixtiones atque incommoda in judicia Germanorum *in Germania* commorantium.

§. VII.

*Dubii cu-  
jusdam  
resolutio.*

*Principio* enim gothorum leges, suppare Romanis, *extra germaniam* sunt latæ, nec unquam forte in germania observatæ, cum post Justinianum illorum instituta in ipsis extra germaniam oris deletæ sint atque perierint; ipsæ veræ gentes à consortio concivium divulsæ, ad patrios focos ac solum paternum nunquam redierint, adeoque nec intulerint adscititias constitutiones in regiones avitas ac conterraneorum. *Deinde* tolerarunt quidem Leges exoticas, ut sub hac libertatis specie debellatas gentes tranquille continerent, sed



sed non caruerunt legibus propriis, secundum quas vixerunt à romanis distincti. *Nec porro* tam absolutè steterunt Legibus romanorum, sed ipsas vel emendarunt, vel accommodarunt ad habitum regiminis & privatorum status. OSORIUS *L. 7. c. 29.* asserit, quod tantum abfuerit, ut Leges proprias ad normam Jurium romanorum comparaverint, ut potius Legibus romanis, libertati contrariantibus, prorsus non paruerint. *Insuper* & illud animad vertendum, quod sæpius pro Legge germanorum lex romana venditetur, quæ nunquam apud illos viguit, fuitque saltem particula inter pretationis Anianæ. BIGNONIUS *in not. ad Legem Salicam Tit. 14. leg. 16.* Et demum falsa innititur fide, quod *Wisigothi* apud Hispanos condiderint Libros duodecim Legum ad formulam Codicis Justiniani, ac tantum non omnia exscripserint hauserintque ex Jure civili. *Expresse enim Sanctio Wisigothorum L. 2. Tit. de judiciis & judicat. c. 9.* edicit, quod *Leges in Hispania ad reprimendas Romanorum Leges, quibus amplius convexari volebant, fuerint conceptæ.*



Præcipue vel ideo, quod Visigothorum potentia apud Hispanos multo major italicâ gothorum extiterit, quippe qui Romanis Italiam, ex *Zenonis Cæsaris* concessione potius, quam vi eriperant, habuerantque proinde instar legis, Italos excipere non sine indulgentia, **CASSIODORUS** *L. 3. epist. 18. & 43.* Patet præterea ex **ISIDORI HISPALENSIS** *Chronico*, tum & ex *præf. PITHÆI, HEROLDI & LINDENBROGII ad codices Legum germanicarum*, quod, si rite calculos duxeris ab *Eurico primo Wisigotborum Legislatore* ad æras hispanicas, totis ab illo parasangis adhuc distet Legislatio Justiniani, cujus codicis usus tum in Hispania nullus fuit. **SETHUS CALVISIUS** *in opere Chron. p. 555. p. 572. & in Isagog. c. 44.*

## §. VIII.

*Et Juris-  
prudentia  
Francica  
indoles.*

Usi sunt itaque moribus convenientibus, vel imitati sunt Leges Theodosiani, cujus codicis usus post Justiniani tempora remansit in occidente. Nec diffidendum quidem est, *Francos* ac reliquos germanos, qui sedes extra Patriæ terminos non tulerunt, variis

riis



riis nunc scriptis legibus uti cœpisse, propitio tamen adhuc, ac non irato Deo. Nondum enim legibus abundabant incertis atque superfluis, sed perspicuis steterunt, curatis, salutis Reipublicæ inservitentibus, dubiis ac cavillationibus haud obnoxiiis. Tuti erant à litibus circa gradus matrimoniales, quorum formulis caruerunt adhuc sub *Childeberto II*do; tuti à rixis circa dorem ac dotalitium, sola contenti donatione gratuita, morgengaba, tuti a controversiis circa ultimas tabulas & causas exheredationum æque ac contractus, usuras & præscriptiones longi & longissimi temporis, quibus doctrinis mores ac leges simpliciores opposuerant. *BALUCIUS T. I. capitular. a. 595. GR. TURONENSIS c. 28. Leg. longob. L. 2. t. 1. c. 8. capit. L. 67. c. 45 Constit. Clotarii apud COINTIUM a. 559. Capit. VI. 149. Cap. I. 4. V. 38.* Expeditam igitur & hoc in ævo habemus justitiæ administrationem, breves litium fines, quos nulla Jurium incertitudo & varietas in judiciis remorabatur. Quare in ipsis Legibus hujus ætatis de processu nullæ reperiuntur operosæ tractationes,

nes,



nes. Et quamvis attentiores fuerint in Legibus circa coercendos delinquentes, ac in Sanctionibus delictorū pœnalibus concipiendis; hæ tamen ita sunt comparatæ, ut in naturam statumque rei-publicæ minime impegerint, fuerintque multo adhuc mitiores illis, quas nunc sequimur in puniendis criminibus homicidii, criminis læsæ majestatis, incendii, cusæ monetæ, adulterii, veneficii, ceteris. v. SCHILTERUS *Exerc. ad ff. 19. §. 13. p. 103.* Qui ex legibus Salicis & ripuariis germanorum, in Criminalibus procedendi modum *per probationes, quas vocabant ordalia, simplices, paribiles & apparentes, nimirum per judicium ignitum seu per vomeres ignitos, purum ignem, cbirothecas candentes, prunas in sinum coniectas, tum & per ferrum candens, aquam calidam seu caldarie & ferventis abeni examen, aquam frigidam vulgarem & exorcizatam, cruentationem cadaverum, judicium campi duellicum, Hoplomachiam, Sciomachiam, sortem, ad summum tribunal provocationem, non secus ac per offam judiciale seu caseum panemque execratum,*



tum, Crucis symbolum, judiciumque, eucharistiam demum ac per reliquas vulgares probationes & canonicas præstationes Juramentorum, penitus fuerit rimatus; is facile quidem gentes superstitionis, & imprimis Cleros malitiæ, & evidentissimæ, quoad Juramenta præcipue, calliditatis accusabit; Illust. STIERNHOCK *Jur. Sveogoth. L. I. c. 8.* BANGERT *Not. ad Chron. Slav. L. I. p. 19.* JO. BROMTON *Hist. angl. p. 844.* MASCARDUS *de probat. q. 4. n. 9. col. 1. Concil. Trid. sess. 25.*; verum non obstantibus tantis purgationum fallaciis, ipsam justitiæ ævi hujus in criminalibus administrationem nihilominus reputabit pro expedita, processuum ambagibus non protracta, faciliiori ac citiori nostrâ, sed quoad probationes, æque fallaci, dubia & captiosa. Juramentorum abusus retinui-  
mus, sed, abrogatis superstitionis in delictis purgationibus, quæstionibus seu tormentis locum concessimus, ut nunc delinquentem, nisi testibus convictum, torturæ subjiciendum esse tuto arbitremur. Quæ carnificina utrum ad erudendam veritatem sit accommodatior,  
ita



ita ut veritatem nec fallat, nec ipsius vi invocentes succumbant, dicat tibi tuus **ULPIANUS** *L. 1. §. 23. ff. de quæstionibus*, & adversus **HAHNIUM**, **EIKOLTUM**, **BORNIUM**, **HUBERUM** ac **MUELENIUM**, **BACHOVIVS** *ad parat. Wesenbec. de quæst. n. 1.* **GREVIUS** *Tribun. reform. p. 12.* **MATTHÆI** *de Crimin tit. 16. p. 724.* **ZEPPERUS** *de Leg. mos. L. 5. c. 50. p. 644.* **PROIDÆUS** *ad POLLETI hist. for. rom. L. 4. c. 14. p. 393.* **SCHALLERUS** *in paradoxis* ac alii. Plures horū in eo nimis laxa philosophia usi sunt, videtur, quod ab abusu, iniquitate ac veritate falaci ad abrogationem Sequelam duxerint, jusserintque torturam proscribendam prorsus ac exterminandam, cum tamen opus sit cautione, ut, sublata tortura, vel concinniori ratione Reipublicæ prospiciatur, vel tamen impediatur, ne æque graviora damna, verbi causa, testium corruptiones, in locum morbi remoti succedant & excrescant. Illud scio, quod sicuti apud priscos germanos nullus extiterit usus tormentorum, quippe quæ non tam ex Jure Romano,

fer:



servos quidem, sed non liberos homines  
quæstionibus divexante, quam canoni-  
co jure, fora atque judicia occuparunt;  
ita nullæ apud illos obtinuerint delati-  
ones ac, deficiente accusatore, inqui-  
sitiones, nulli processus inquisitorii,  
nulli impertinentes inquisitionales ar-  
ticuli, pluriumque interrogationum  
fallaciæ nullæ. *conf. Leges Bajuvariorum*  
*Tit. 2. c. 17. GREGOR. TURONEN-*  
*SIS L. 7. Not. c. 32.* Ut itaque nec in  
hoc ævo reperiamus radicem corru-  
ptionis Juris & Justitiæ. Etiam si non  
inficiemur, clerum in eo mentem se-  
rio defixisse, ut licentiam, juxta for-  
mulam legum Romanorum vivendi,  
nancisceretur. Apposite enim illud  
facere videbatur ad commoda illorum,  
pomœria & autoritatem. Uti ex con-  
tractu emphyteuseos, donatio-  
num, legatorum, fideicommissorum,  
testamentorum ac manumissionis do-  
ctrinis, non secus ac sanctionibus de Mo-  
nachis, hæresi ac excommunicatione  
docuerunt BALUZIUS *Not. ad Capitul.*  
*p. 996. BURNETUS hist. ref. angl.*  
*P. 1. L. 3. p. 254.* Quarum rationes ita  
sunt comparatæ, ut haud difficile favo-  
rem Cleri excitare possint. REGINO  
*Lib.*



*Lib. II. Eccles. Discipl. c. 89. BEYERUS  
Pos. ad. ff. L. 28. p. 459.*

§. IX.

*De Juris  
statu in  
Seculo IX.*

Vidimus hucusque Juris naturam ac Justitiæ administrationem Germanorum sub Romanis ac Francis. Transeundum itaque est ab ævo Merovingico ad Carolinum. Et quidem mutaverunt in hac periodo Jura ac Leges faciem & figuram, recesserunt à pristina ratione, sed stetit mansitque nihilominus justitiæ facilitas atque Jurium certitudo. Legibus ac capitularibus addidit Carolus Cæsar auctus & emendationes, novas ordinavit tulitque Saxonibus, Frisiis & Thuringis, vel potius horum mores ac Leges in scripturam redegit, collegit, concinnavitque. Proinde edixit poenas, & cum eodem Imperante Germania cisbaltica in unum corpus coaluerat, leges universales seu capitularia in causis civilibus & ecclesiasticis, diversis in conciliis, sanxit condiditque. *CONRINGIUS de orig. Jur. germ. c. 13. BALUZIUS, horum capitularium collector, præfat. ad Capitularia. Capitul. III. aquisgran. a. 789. Filius Ludovicus*

vicus



vicus Patrem secuturus novas adjecit publicavitque constitutiones, quas ANSEGISUS collegit, auxitque tribus libris BENEDICTUS LEVITA. PANGI *in Critic. Baron. a. 845. n. 16.* JOA. VADIANUS *aphor. de Evchar. Lib. VI. p. 215.* Quibus collectionibus Legum diutius usi sunt in universo Francorum imperio Germani jam nunc se juncti à gallis ac Italis, donec earum vis cum ipsa stirpis Carolinæ extinctione exaruit elanguitque. Nulla vero ex his legibus nasci potuit Juris confusio. Apperte in hanc rem EGINHARTUS *in Vita Caroli c. 29. : quod Carolus studuerit, discreptantes Leges unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere, imo, quod ea, quæ Legibus deerant, addiderit feceritque omnium nationum, quæ sub ejus dominatu erant, jura, quæ Scripta non erant, (mores itaque, non Leges peregrinas) literis mandari.* Tulit quoque leges consensu atque suffragio gentis, nec illas miscuit, sed pro populi varietate distinxit. *Vide Edictum Pistense c. 6. cap. III. a. 803. c. 19. & BALUZIUM ad Cap. præf. §. 7.* Præstat audivisse verba



*Anonymi apud LEIBNITIVM Script.  
Brunsv. T. 1. p. 168.*

*In quibus antiquas leges correxit, in  
ipsis*

*Uniri mandans dissona, quæ fue-  
rant.*

*Addidit his etiam, quæ congrua du-  
xit,*

*Pauca quidem numero, sed valde uti-  
lia.*

Verum cum Poetarum testimonia ple-  
rumque elidantur exceptionibus, ap-  
ponamus verba diplomatis apud  
NOPPIUM *Chron. aquis gran. L. 3.  
p. 3.* Deinde prout cunctis placuit Pru-  
dentioribus, Legem Saxonum, Norico-  
rum, Svevorum, Francorum distinxit  
& distinctam autoritate stabilivi. Sed  
& hanc chartam, dum sapit ævum re-  
centius, alii merito accusarunt suspe-  
cti valoris. Provocamus ideo ad *An-  
nales Francorum* apud LAMBECIUM  
*in Bibl. Cæs. L. 2. c. 5. a. 802.* ubi hæc:  
*Congregavit Imperator Duces Comites  
& reliquos populos cum legislatoribus,  
& fecit omnes Leges in regno suo legi,  
& tradi unicuique hominum legem su-  
am, & emendare ubicunque necessum  
fuit*



fuit & emendatam Legem Scribere & ut judices per Scriptum indicassent. Neque erit, ut nobis objicias in capitularibus mixturam legum romanarum; *Vide addit. IV. n. 160.* Hæ enim nec *Justinianæ* sed *Theodosianæ*, nec tantæ sunt, ut in Jure atque Justitia morbos excitare possent, etsi diffimulari nequeat, quod Jus Canonicum in hac periodo latius serpsit cœperitque adulterare mores, quibus intulit vim & injuriam. *ASTRONOMUS de vita Ludov. Pii ad a. 817.* *MASTRICHT histor. Jur. eccles. p. 53.* *REGINO ad a. 813.* *ANTON. AUGUSTINUS de emendat. Gratian. L. 1. dict. 10.* Assertionem hanc satis tuentur doctrinæ nunc introductæ de decimis, usuris, de pœnis in reos & peccantes, de Jurisdictione & pœna ecclesiastica, de jure patronatus, de præscriptione bonorum ecclesiasticorum & de pœnitentia ecclesiastica. *SCHILTER de L. E.G. II. 10. sq.* *MASTRICH Hist. I. Eccl. n. 192. Cap. 69. I. Cap. 27. V. Cap. aquis-gr. a. 789. c. 5. Cap. Ludovici Pii a. 829. c. 2. Cap. Wormat. a. 829. c. 8.* & de suppositiis Pontificum epistolis Germaniæ



*usaniæ pro legibus ecclesiasticis hac ætate obtrusis, libroque pœnitentiali Rabani Mauri, CONRINGIUS de Or. J. G. c. 16. p. 87. Jqq. MARCA de Concord. Sacerd. & Imper. L. 6. c. 25.*

## §. X.

*Et de justitie statu ejusdem Seculi.*

Quodsi nunc etiam processus & administrationem justitiæ in judiciis curatius intueamur, fatebimur fide SIGEBERTI GEMBLACENSIS *ad a. 802.* & SIGONII *de Regno Italiæ L. 4. p. 99.* quod ad faciendum judicium & cunctis justitiam, germani legatos suos direxerint, & lites judiciali ac competententi sententia cito terminaverint, curaverintque juxta rerum & temporum considerationem, ut in rebus dubiis non Judicis arbitrium sed Legis certitudo atque autoritas prævaleret. Distinctim præcipue in Civilibus posuerunt limites Jurisdictionis, & quamvis non defint, qui hoc ævo detestentur summam judiciorum centenariorum, vehmicorumque seu Westphalicorum iniquitatem, celerem quidem sed injustissimum processum, quo in fide Scabinorum justitia acquievit, extititque causarum incompetens cumulus; incerta



certa tamen adhuc est in hoc ævo origo secretorum judiciorum &, quæ adducuntur exempla, nondum elidunt exceptiones in contrarium. v. HELMOLD *Chron. Slav. de Guncelino* L. II. a. 1170. OCKELIUS *de palatio regio* §. 33. §. 46. RHETIUS *de statuis rolandinis* c. 2. c. 2. 3. DATTIUS *de pace Publ.* c. 4. *sqq.* & *Vir excell.* JO. BURCH. MENCKENIUS *diss. de feimeris* c. 1. §. 23. Non etiam est, ut circa assertiones GOLDASTI *Const. Imper.* T. 1. p. 191 & AVENTINI L. 4. p. 224. de Teutonum egestate ex litium, legulejorum & causidicorum aurisuga ac venali turba, dubii hæreamus, cum non solum constitutiones ab illis adductas, verum etiam exhibitas chartas Caroli Crassi de Romana expeditione, nec non Leges Arnulphi falsitatis fideique sublestæ convicerint SCHURTZFLEISCH *de Conrado Salico ejusque diplom.* §. 3. LUD. CANTARELLUS FABER *Traité de l'origine des fiefs* p. 182. STRAUCHIUS *de Hostenditiis*: OBRECHTUS *de Exped. rom.* §. 8. BOCKLERUS *hist. seculi IX.* p. 187. *Notit.* S. R. I. L. 15. c. 2. & SCHILTERUS,



RUS *Comment. ad Jus alleman. c. 8. §. 2.* Interim id dandum est dissentientibus, quod frequens in hac periodo Jurisprudentiæ mentio fiat Advocatorum. Quorum natales alii ex vetustiori repetere siveverunt, alii ex recentiori ævo, quo utraque jura peregrina ad Germanos peragrarunt. Sequimur vero, quod clarum est atque indubium. Vide *Capitularia L. III. c. 37. 51. L. IV. c. 16. L. V. c. 234. L. VI. c. 271. conf. Leges Wisigoth. L. 2. tit. 3. L. 3. tit. 2. Cap. caroli ad Leg. Sal. L. 3. c. 7. ad a. 831. c. 14. L. 7. cap. 392.* Et quidem non in omnibus causis admiserunt in judiciis causarum patronos, nec hi accesserunt ad tribunalia, nisi validis documentis stipati. *L. 7. Cap. 274.* Præcipue in eo distant ab ævi recentioris advocatis, quod oretenus saltem causarum momenta exposuerint, quamvis tunc quidem ex hac differentia assertores & procuratores ab advocatis non distincti fuerint, donec seculo XIII. controversiæ judiciales in scriptis ventilari cœperunt. Fuit illorum autoritas & calliditas certe non tam ampla, quanta fuit advocatorum Ecclesiarum, ac Burggraviorum, quorum



rum vis in immensum ad ævum usque *Friderici II.* excrevit. OCKEL *de Palat.* p. 43. WEHNER *Observ. pract.* L. V. p. 448. Deinde faciunt feceruntque & tum Advocati potius ad abbreviandam eò citius controversiam, cum rite defuncti sint officio, proposuerintq; partium jura non *mercenaria*, non confusa, quæ plebis est, sed prompta, congrua atq; perspicua dicendi ratione. Ad quam conservandam sancitum atque provisum est in *capitulari Caroli & Ludovici L. 3. c. 27. & L. 3. c. 17. ut, si quis hominum iniuste contra alium altercantem adjuvare per malum ingenium præsumserit, atque inde coram iudicibus vel comite increpatus fuerit & negare non potuerit, solidorum XV. pæna dignus judicetur, si vero causidici nec iudicio scabineorum acquieverint, sed blasphemis uti voluerint, antiqua consuetudo servetur, ut in custodia recludantur, donec unum è duobus faciant.* Quæ pœnalia remedià, quamvis non sufficiant ad evellenda ex animis Assertorum subtiliora stratagemata, forte tamen instar freni fuerunt crassioribus technis & cavillationibus.



## §. XI.

De Juris-  
prudentiæ  
metamor-  
phosi post-  
carolin-  
gica.

Prorsus aliam, sed tolerabiliorem potius, quam deteriore formam induit Jurisprudentia à decimo seculo ad tertium decimum usque, cum *Scriptæ Leges capitulares Francorum fere prorsus abierint in non usum & desuetudinem*. Ipsa hæc metamorphosis in *Jure privatorum* mira videri non poterit illis, qui insignem *circa statum Imperii ac Juris publici* mutationem consideraverint. *Et quidem ita sese res habet tanti momenti*. Habuerat Germania omni ævo **SEPTEM GENTES PRÆ-**  
 „ **CIPUAS** dominiis invicem omnino  
 „ distinctas. *Boji* regem coluerant;  
 „ *Ducem Svevi*; *Regem Thuringi*; *Saxones*  
 „ *duodecim Proceres: Venedi*  
 „ *transalbini*, quorum provincia capi-  
 „ *talis Mecklenburgum, Reges; Bohemi*  
 „ *Duces & reges; & universi instructi fu-*  
 „ *erunt potentatu atque imperio. Fran-*  
 „ *ci demum hos suos gentiles, Gallia*  
 „ *subjugata, sensim in suam conjecerunt*  
 „ *potestatem. Suevos vicit Clodovæus;*  
 „ *Thuringos subjugavit Theodoricus;*  
 „ *Bojos Viribus Pipinus, regnoque exuit*  
 „ *Carolus Magnus, cui etiam Saxones*  
 „ &



& sub clientelari fide *Venedi*, omnem,,  
 oram maritimam inter *vistulam al-*,  
*bimque tenentes*, atque *Bohemi de-*,  
 mum herbam dederunt. Sub unius,,  
 dominium diversas itaque Germaniæ,,  
 respublikas *Carolus* adduxerat, cui,,  
 paruerunt devictæ gentes carolingi-,,  
 co regimini adstrictæ, ac potestate,,  
 saltem administrativa pollentes, do-,,  
 nec *stirps victrix* incipiebat elangve-,,  
 scere sub regimine *Arnulphi*, ac pror-,,  
 sus exaruit in venis ac fatis *Ludovici*,  
*infantis*.

## §. XII.

Et quidem extincta nunc Seculo,,  
 Xmo circa annum 913. domo regna-,,  
 trice ac stirpe *Carolingorum*, libera-,,  
 bantur populi à formula *Victorum*,,  
 limitata, ut nunc possent redire ad,,  
 pristinam *potestatem anticarolinam*,,,  
 hoc est, ad arbitrium, Imperium omne,,  
 inter se ipsos vel sigillatim distribuere,,  
 vel in summum Imperantem conferre,,  
 Refloruerunt pristina singularium,,  
 provinciarum Germaniæ jura, & quæ,,  
 hætenus sub imperio unius delitue-,,  
 rant, receperunt vitam ac libertatem.,  
 Uno ore testantur hinc cœequales,,

Ratio hi-  
 storica  
 cardina-  
 lis Ima.



scriptores WITICHINDUS , LUIT-  
 PRANDUS , DITMARUS MERSEBUR-  
 GENSIS , ALBERICUS , SIGEBERTUS ,  
 „ AVENTINUS & , *Analistæ* quod *Bava-*  
 „ *ri* elegerint Ducem Arnulphum , Sve-  
 „ vi Burchardum , *Thuringi & Saxones*  
 „ Poppone n & Ottonem , *Bohemi U-*  
 „ *ratislaum* ; ac *Boreales Venedi* item  
 „ Duces suos ac Regem , quem in præ-  
 „ cipua Venedica provincia *Megapolita-*  
 „ *na* advenerati sunt , *Miecislaum*. Fru-  
 „ straneo enim prorsus defunguntur  
 „ officio , qui *Marchiam Brandenbur-*  
 „ *gicam* pro primaria provincia ven-  
 „ ditant , cum ex documentis ac argu-  
 „ mentis satis idoneis appareat , par-  
 „ vissimum tunc quidem ambitum  
 „ *Marchiæ Brandenburgicæ* una cum  
 „ *Pomerania* ac aliis regionibus in ne-  
 „ xu ac imperio fuisse *Regum Megapo-*  
 „ *litanorum*.

## §. XIII.

Ratio hi-  
 storica  
 funda-  
 mentalis  
 II-

In cujuscumque provinciæ, nunc  
 „ sui juris factæ , Ducis ac Regis jure  
 „ territoriali instructissimi arbitratu po-  
 „ situm erat , peculiarem , uti olim  
 „ sub Romanis, rempublicam constituere  
 „ & à reliquo Germaniæ corpore di-  
 ver-



vertere, quo etiam principio inclina-  
 re visi sunt tantum non omnes Do-  
 mini territoriales, *Boicus* præcipue,  
*Saxonicus*, *Suevicus* ac diutius *Vene-*  
*dicus*. *Franci* vero, regni germani-  
 ci tenaces, proprio arbitratu iterum  
 elegerunt *Cæsarem Conradum*. Et  
 quamvis reliqui Duces, vestigiis Im-  
 perii carolingici deterriti, hunc non  
 statim agnoverint; consilii tamen ac  
 è re esse deinceps judicaverunt, coire  
 sub ipsius regimine, ac *pacto* fideque  
 clientelari, ipsius imperio accedere,  
 sed **RESERVATO SIBI SINGULIS**  
**PROPRIO DOMINIO AC JURE SU-**  
**PREMATUS TERRITORIALIS.** Soli  
*Venedi*, libertatis omnimodæ tenacissi-  
 mi, separato regimini domestico diuti-  
 us inhæserunt, malueruntque jure suo  
 uti ac à systemate Imperii germanici  
 in germania discessum facere, quam  
 fidem dare Imperatori. In quo regi-  
 mine per integra secula perdura-  
 runt, bellis Cæsarum ac Ducum la-  
 cessiti. Hæc itaque notatu dignissima  
**OMNIUM RERUM IN GERMANIA**  
**EST CONVERSIO.** Quâ Principes,  
 Postliminii Jure & recuperatorio judi-  
 cio



„cio nacti sunt superioritatem territori-  
 „atem, seu POTENTATUM, IN SA-  
 „CRIS AC CIVILIBUS REGALIA, ut  
 „jam non teneant *feuda beneficiata*, nec  
 „agant instar usufructuariorum, sed  
 „in feudis possint gloriari *recognitis*,  
 „in proprio & originario dominio.  
 „Cæsar enim Postcarolingicus nunc  
 „illis non imperat jure hæreditario li-  
 „beroque, sed adducto ac electio.  
 „Hæc certe, si curate intellexeris, facile  
 „DE CONVERSA JURISPRUDENTIÆ  
 „FACIE tibi constabunt rationes. Cum  
 „enim, *lineâ Carolidarum extinctâ*, ad  
 „Duces ac gentes *reversa sit avita PO-*  
 „TESTAS & *vivendi ratio à for-*  
 „mula *francica ac Carolingica diver-*  
 „sissima; mirum non est, quod CA-  
 „ROLINGICIS LEGIBUS consuetus  
 „valor non remanserit, sed illæ sensim  
 „*in auras evanuerint.*

## §. XIV.

De Juris-  
 prudentiæ  
 natura &  
 e conditione  
 in Seculo  
 X. XI.  
 XIII.

Proinde ævi hujus Jurispruden-  
 tiæ hæc erat conditio, quod sepositis  
 legibus universalibus à Carolo magno  
 & successoribus conditis, ex moribus  
 germanorum receptis iterum fuerit ju-  
 dicatum, non ex Legibus Scriptis Ca-



*rolingicis.* Quæ præterea in tanta negotiorum multitudine, laborabant insufficientia, erantque quidem in delictis & pœnis prolixæ, sed mutæ in jure personarum, rerum & obligationum & contractu. Apposite atque apperte de moribus hujus ævi scripsit CONRADUS, *abbas Urspergensis, ad a. 1171. c. 87. Imperator*, inquiens, *Ducem Henricum Leonem frequenter evocat ad curiam, ubi Principes more Teutonorum qui sine Lege voluntatem suam pro Jure statuunt, contra Imperatorem hoc jus tenere voluerunt. Neque aliis Legibus utuntur germani, quam pacis literis.* Hinc est, quod in judiciis regni germanici *publicis*, sententias non pronunciaverint homines literati, sed vel ipsi principes, vel præfecti, æqui bonique, non literarum, gnari. Judiciis vero privatis præerant *Scabini*, quos senium quidem ac pietas commendabant, sed nulla Jurium systematicorum cognitio. Satis erat, didicisse justitiam ex consuetudine & experientia, adeo ut sæpissime judices analphabeti esse potuerint, fuerintque plerumque artis legendi scribendique ignari. Et refert

*Mona-*



*Monachus corbeiensis* exemplum, quo coram Ottone quæsitum : *Utrum ex fratre nepotes in concursu cum patruo, in capita, an instirpes succedant ?* & ad hoc postulatum responsum fuit : *quod hæc controversia ex Legibus nequeat resolvi, sed partes ablegari debeant ad jus manuarium, ad pugnam seu monomachiam.* Non desunt quidem rationes, si verba **WITICHINDI** apud *Meibomium T. I. p. 644.* curatius examinaveris, quod Otto ex regulis prudentiæ ac politices partes ad duellum ablegaverit, ne suo deciso offenderet Senes & Nobiles. **SIGEBERTUS GEMBLACENSIS a. 942.** Diutius tamen & ad Interregnum usque jus sæpius positum fuit in manibus. Nimis religiose igitur in has judiciorum consuetudines invehitur **BALUZIUS** *in capitularium præfamine*, ubi vehementer conqueritur, quod Germani nomen gloriosum Francorum, *ac in Capitularia Reverentiam*, sub Ottonibus exuerint, discesserintque à legibus memoriâ dignis. Provocat idem, favore in Francos abreptus, ad manifestam divini numinis iram & publicam regni rerum-  
que



que Germanorum deinceps paulatim dilapsarum calamitatem, cujus causas *ex neglectu discipline in capitularibus præscriptæ accersendas esse* fidenter confidit. Etiam si meliori jure has reperere potuisset ex insatiabili Cleri cupidine dominandi.

## XV.

Possent facile quis dubitare de asserto, quod nunc suppressus fuerit atque extinctus usus capitularium. In diplomatibus enim frequens occurrit formula: *possidere jure Francorum*. Verum hanc quidem nihil evincere aliud ac insinuare, quam *libertatem à servitiis ac à præstationibus immunitatem*, docent privilegia à *Friderico primo* monasterio Portensi, & ab *Henrico Hassiæ Landgravio*, civitati Grunbergensi impertita. PETRUCHII *Chron. p. 36.* HERTIUS *de Consult. & judic. p. 463.* Præterea hæc formula est juris particularis, non juris capitularium. Urges forte decretum Ottonis magni Francofurtense a. 952, apud REGINONEM *append. l. c. 53.* & WITECHINDUM *ed. Meibom. p. 644.* cujus summa hæc est: *quod Capitularia etiam nunc valuerint*

*De interitu Capitularium & Legum Francorum in his avis.*

¶



& aucta sint pro ratione circumstan-  
 tiarum. Verum evicit jam CONRIN-  
 GIUS, quod suspecta sit REGINONIS  
 fides, cui nequidem additio excitata po-  
 terit adscribi, dum vixit sub *Conrado*.  
 Sed sit ita, quod Cæsares Legum Fran-  
 corum autoritatem supprimere nolue-  
 rint, quid hoc *ad Duces Imperiique*  
*status*? Videntur Imperatores usum  
 Capitularium vel ideo præcipue appro-  
 basse ac urfisse, ut splendor pristini *Im-*  
*perii* Francorum *laxioris* iterum re-  
 vocaretur, & ipsi regnum carolingicum  
 viderentur continuare. Quorsum respi-  
 ciunt indubie allegati decreti verba:  
*Capitularium PRÆCEDENTIUM*  
*REGUM institutis coram positis*. Si-  
 cuti iisdem etiam terminis *Fridericus*  
*Imus* in confirmatione constitutionis  
*de regia Imperii transalpini sede*, anno  
 1166. *in gratiam aquisgranensium fa-*  
*cta*, ad præcedentes Reges provocavit.  
*GOLDASTVS T.2. Const. Imp. p.6.* Facile  
 probatu est, quod diutius Imperatores  
 spiritus conceperint, omnem germani-  
 am reducere ad formulam Imperii Ro-  
 manorum & Carolidarum, adeo ut  
*Otto quartus, Fridericus II. & Maxi-*  
mi-



*milianus* adhuc vocaverint Carolum  
magnum atque *Justinianum* Ante-  
cessores suos in Imperio. GODE-  
FRIDUS *monachus Pantaleonis ad a.*  
*1208. DATTIUS de pace publ. p. 712*  
*Confirmatio de regia Imperii Transal-*  
*pini sede a. 1166. apud GOLDASTUM*  
*T. 2. p. 6.*

## §. XVI.

Certum est, a Carolinis tempori- *Indoles*  
bus ad *Seculum XIIIum* usque judi- *Juris pri-*  
catum fuisse potius ex æquo & mori- *vati in*  
bus, quam ex Jure scripto ; Illud ta- *his seculis*  
men negandum non est, quod Otto- *repetitur*  
nes, Saxonici Cæsares atque succes- *ex æquo,*  
sores Franci & Svevici Imperatores *& mori-*  
Leges publicas & particulares tulerint, *bus.*  
sanxerintque, si fides est autoribus,  
constitutiones ac Leges *duellionum,*  
æque ac *de duobus reis stipulandi vel*  
*promittendi, de Mancipiorum proprie-*  
*tate, de veneficiis, illicitis nuptiis, par-*  
*ricidiis, Pacis turbatoribus, ecclesiarum*  
*Jurisdictione, Calumnie juramento*  
*Clericorum, de Pace præcipue Publica,*  
*Banno forestorum, Jure Ministerialium,*  
*bonis ecclesiasticis, Scabinorum officii,*  
*judiciis ac foro competente, ut reliquas*  
F a Fri-



a *Friderico Imo* in campis Roncaliis & ab *Ottone quarto* conditas, à *GOLDASTO* relatas, silentio prætermittam. *conf. Exc. STRUVIUS Hist. Jur. Rom. c. 6. §. 15; 16, 17.* Nihilominus in harum legum cæsarearum serie pauca sunt, de quarum indubia observantia fide ac autoritate ubique constat, pauca sunt quæ spectant ad res *privatorum germanicas*. Sed non eo collineat nostra assertio, ac si consuetudinum Francorum ac gentium germanicarum Legum memoria & nunc prorsus deleta sit ac extincta, cum hæc eousque non defierint in usu esse, quousque moribus ac simplicitati congruerint. **OTTO FRISINGENSIS** *L. 4. Chron. c. 32.* **WERLHOF.** *Spec. I. G. enucl. p. 90. 91.* **KULPISIUS** *de autor. vet. Leg. p. 30. §. 26.*

## §. XVII.

*Non ex  
speculis  
& jure  
romano.*

Perperam inter Leges hujus ætatis retuleris *Speculum Saxonicum* & *jus Weichbildicum magdeburgense*, utriusque enim natales sunt recentioris ævi. Prorsus inconsiderate ex *Chronico CARIONIS p. 671.* tribuitur *Lothario II.* quod *Jus Justinianicum* intro-



introduxerit in Germaniam, quæ hujus juris dispositionem & vim publicam ignoravit ad seculum usque decimum quintum. Nihil Lotharius mutavit in moribus Germanorum, & falsum item est, illum Jus Romanum invexisse in Italiam, ubi diutius ante Lotharium usus illius Juris innotuit superfuitque. **CONRINGIUS** *de O. I. G.* c. 20. p. 108. 117. c. 22. 23. p. 133. 138. **PANCIROLLUS** *de claris Leg. Interpr.* L. 1. c. 14. p. 124. **CALIXTUS** *appar. ad Hist. Eccl.* c. 3. Manifesta harum opinionum falsitas alios merito adduxit, ut ex adverso statuerint, *Lotharium* Juris naturalis usum ac simplices mores potius commendavisse, quam in oras germaniæ duxisse romanorum instituta. *Vide Abregé de l'histoire romaine Tom. 2. p. 99.* Pontifices vero, quorum tyrannis sub Henrico quarto ad fastigium pervenerat, nunc incepisse colligere decreta, illud quidem documentis idoneis non destituitur. Imo, qui urgent *diuturniorem capitularium Legumque universalium præcedentium observantiam* ex hoc ævo, Monachi plerumque sunt, quorum intererat, incru-



stare ac servare Leges , quæ faciunt egregie ad illorum emolumenta.

§. XVIII.

*An ex Legibus Cæsareis?*

Quæstio non est de placitis ac Legibus propriis particularibus atque originariis gentium germanicarum; his enim nullo non tempore sua constitit autoritas. Sed quid dicendum de Sanctionibus Cæsareis? Leges ab Ottonibus & successoribus in Comitibus promulgatæ ac supra strictim recensitæ, præcipue respexerunt *publicam pacem & tranquillitatem*, vel conservandam autoritatem personarum ecclesiasticarum adversus Pontificum potestatem pro Cæsaribus militantium, vel patrimoniales provincias & territoria Saxonica, Svevica & Francica, vel demum Italos. *Duces vero ac status Imperii* mores germanorum revocaverunt in regiones. Ergo distingvi debent *Cæsarium Leges* ac constitutiones quas tulerunt *in propriis territoriis*, ab illis in *Imperio*, vel a *Ducibus* in singularibus *provinciis* promulgatis. Habes hic novam causam, cur Cæsares in Comitibus ac publicis conventibus parum cogitaverint de rebus privatorum ac Legibus particularium



larium provinciarum. Harum enim cura relicta erat in singulis Territoriis Dominis ac Principibus *superioritate territoriali instructis*. Nec obstant ex recentiori ævo ordinationes politicæ & criminales constitutiones, cum hæ in comitiis non a solo Cæsare, sed statuum consensu nactæ sint virtutem. Ex hoc fonte supra scripsimus, quod *Principes Capitularium seu Legum universalium Carolinarum usum* cito sustulerint, quia nunc vi suprematus illis competiit Legislatura, qua etiam nunc fruuntur, potestas, adeo ut potentatus illorum, etiam contra Jus commune condendi Leges territoriales, nullo jure possit in dubium vocari.

## §. XIX.

Pellucet nunc, cur ad statutorum promulgationem ac Leges provinciales condendas *in Saxonia*, *Henricus Auceps* mentem accinxerit institueritque Jura Hergewettæ atque Opificiorum. Quamvis enim Jure regio & cæsareo ceteris germaniæ provinciis præfuerit, in has tamen Leges Saxonicas non invexit, cum Saxoniam non egrediebatur ipsius *Dominium territoriale*.

*An ex particularibus Provinciæ Legibus?*

*Probatum exemplo Henrici Aucupis.*



*riale.* Nec alia desunt exempla, quod jam in his Seculis, Provinciales leges & statutariæ cœperint promulgari. Quamvis enim frequentiores demum Seculo *decimo tertio* occurrant; neuti- quam exinde valebit illatio, quod re- strictior fuerit Principum Legislatura potestas ævo antecedenti. Potuissent eodem jure uti in ipso Seculi decimi primordio, quo consecuti sunt omnem potentatum territorialem. Ex hoc ve- ro descendit jus legislatorum adeo, ut Duces non indigeant Imperatorum concessione atque consensu.

## §. XX.

*Notatur  
Besoldus.*

Ex hoc facile est ad intelligendum, quam absone Legulejorum turba con- stitutiones Principum Germaniæ con- ferat cum edictis prætorum. Neque au- diendus est BESOLDUS *de lib. jur. c. 9.* qui in hac Causa Principum, Speciali privilegio ac Cæsarum confirmatione ad ævum usque *Adolphi Imperatoris* o- pus fuisse, inepte adstruit. Etiam si e- nim non desint exempla, ex quibus appareat, quod Duces Legibus ac or- dinationibus judiciariis Imperatorum confirmationes præfixerint, requisive- rintque



rintque cum Duce Brunsvicensi Cæsaris consensum; nullus tamen nisi Jurium Procerum & imperialis historiæ ignarus dixerit, quod illo indiguerint ex Juris necessitate.

## §. XXI.

Parum sanior illorum doctrina *Vultejus.* est, qui cum VULTEJO *Consil. marp.* 54. n. 26. 27. ac, quo ineptius nihil est, *ex argumento c. 1. de Constit. in 6. L. 1. c. de emancipatione*, inconsiderate tradunt, quod non quidem necessarium, sed consultius tamen sit ac utilius, ut adhibeatur Cæsaris consensus. Novum hic adest exemplum abusus Juris Canonici & Civilis & utriusque Juris damni in causis Principum illustrium. Imprudens enim sit oporteat, qui illas cautelas pro politices ac prudentiæ regulis reputaverit, ex quibus præsens imminet Juribus superioritatis Procerum periculum. Sola sufficit in condendis Legibus ac statutariis Superioris Territorii voluntas, & tanta omnino est Principum nostrorum potestas, ut decreta statuere queant contra ipsum jus commune valitura, quinimo Imperii Legibus publicis privatis, recep-



sibus & particularibus Juribus, summo Jure derogantia. MAURITIUS *Diss. de recess. Imp. Th. 4. Ord. Camer. P. 2. t. 13. §. 1. Dn. de LYNCKER de stat. Civitat. provinc. Part. comm. th. 13. TITIVS Jurisp. Rom. Germ. Priv. L. 1. c. 3. §. 63, 64.*

## §. XXII.

*Præcipue Mylerus & qui in Jure Publico romanizant*

Displicet itaque MYLERUS *de Princ. & Stat. Imp. p. 2. c. 39. p. 366. §. 11. vel ideo, quod pro more ex legibus romanis, non vero ex Jurium procerum argumentis Principibus legislativam potestatem sine concursu cæsareo vindicaverit, citaveritque L. omnes populi 9. ff. de just. & jure, addita ratione, quod, cum jus consuetudinarium ex tacito populi consensu conflatum, Principis superioris confirmatione per L. 32. ff. de LL. non indigeat, nec Cæsaris consensus necessarius esse possit in Legibus Principum provincialibus. Hac ratione si niteretur saltem Principum circa Leges condendas potestas, tota corrueret concideretque, cum falsa sit illationis ratio. Rabula tantum decet & delectat hypothesis: populum posse introducere jus consuetudinarium Legi*  
*suppar*



*suppar ac æmulum.* Spectat hoc ad statum romanorum popularem seu democraticum, & perperam obtruditur Imperii Germanici principibus, in quorum territoriis nec plebs sciscit, nec Senatus jubet, nec Prætor edicit. Libera amplius non est respublica sed imperio Principibus sigillatim subdita. Neniæ sunt ac injuriæ in Principes dictiones, quas vulgus habet de quatuor requisitis consvetudinum. Tulit apud Romanos populus Leges, Legis vim tribuit consvetudinibus, voluntate & consensu diuturno utentium comprobatis. At impertinenter consensui populi romani nunc in Germania substituis tacitum consensum Principum. Hi enim nesciunt privatorum actiones, ergo non constat de consensu illorum, uti quidem constitit in consvetudinibus apud Romanos de populi consensu, quem evidentissimus usus declaravit abunde. Nulla itaque est ac esse poterit vis consvetudini nisi expressa Principum declaratio accesserit. Salva hinc manet manebitque Archontum Imperii majestas, nulla Romanorum Lege, sed Potentatus Jure ac Ter-



ritoriali Superioritate firmiter innixa.

§. XXIII.

Accedunt  
nova ex-  
empla hi-  
storica, de  
hujus ævi  
Legibus  
provinci-  
alibus.

Deinde etiam illud ad *sal-*  
*vandam* *Legislatoriam* *potestatem* *in*  
*hoc ævo* poterit addi, quod in pu-  
blicis tabulariis multa Legum pro-  
vincialium ac municipalium delitescant  
monumenta, quæ ferunt ætatem Ju-  
risprudentiæ germanicæ seculo decimo  
tertio antiquiorem, quod quidem in-  
ficiatus est *Besoldus*. Testes est *GVILL-*  
*MANNUS* *de reb. Helv. L. 3. c. 9.*  
quod *Bertholdus IV. Zæringiæ Dux* a.  
1170. Friburgo à illo condito dederit-  
præscripseritque jura & Leges.  
Quinimo comprobavit *HERTIUS*  
*opusc. T. II. p. 257. p.* exemplo *Hen-*  
*rici I. Landgravii* ac aliorum, quod  
Seculo duodecimo jam consignari cœ-  
perint municipales ac statutariæ Leges,  
adeo ut Principes civitatibus de rebus  
civilibus & criminalibus cognoscendi  
facultatem, ex emtionis venditionis,  
feudi vel privilegii titulis sæpius imper-  
titi sint, indulserintque *jus Köbre seu*  
*Willkübre* utiliter condendi, prouti pri-  
vilegio à Comitibus *Holsatiæ* *Hambur-*  
*gen-*



genfibus impertito docuit LAMBECIUS *Rer. Hamb. L. 2. n. 472.* Perinde ad hoc ævum tam referendi sunt natales *Legum Frisiorum obftalbonicarum*, quam *jurium municipalium aquisgranensium ac Coloniensium*. Horum enim, tanquam antiquiffimorum meminerunt autor glossæ polonicæ ad articulum 1. *Juris magdeburgici*, & Archiepiscopus Coloniensis Henricus in privilegio Civitati Coloniensi concessio. Cl. LUNIGIUS in *Reichs Archiv P. spec. cont. p. 341.* Tanta & hodie his juribus est autoritas, ut tantum non omnes Rhenvincinæ celebriores Civitates in causis dubiis ad Aquisgranum aut Coloniã provocent.

Exemplum III.

Exemplum IV.

## XXIV.

Cum supra *Henrici aucupis Saxo-* *num Ducis* circa Leges condendas potestatis mentionem injecerim, nunc excitabo exemplum *Henrici Leonis Saxonie & Bojariæ Ducis*, qui duodecimo Seculo condidit *Jus Lubecense*, ac ex quo hoc traxit originem, *Sosaten- se Westphalicum*. Quamvis enim MEVIUS in *Commentario juris Lubecensis qu. 1. n. 41.* LAMBECIUS in *orig Hamb.*

Exemplum V.  
de Jure  
Lubecensi



*Hamb. n. 101. BANGERTUS in notis ad Chron. Slav. p. 296. ac quem multi sequuntur, CONRINGIUS per Solfatiam Holsatiam intelligens, hanc Juris Lubecensis ætatem in dubium vocaverint; tot validis tamen rationibus horum opiniones contudit contutavitque HEINR. MEIBOMIUS in histor. inf. sax introd. p. 86. sq. ut nequidem Sceptico superesse possit dubium. Præcipue, cum robur addat locus HELMOLDI Chron. Slav. L. I. c. 85. n. 6. cujus testimonium liquidum adeoque validum est, ut in Meibomianam sententiam concesserint Cel. GUNDLINGIUS de jure oppign. territ. §. 52. MOLLER Isagog. in histor. Chersf. Cimb. P. I. c. 15. §. 5. WINCKELMANNUS Notit. vet. Sax Westph. L. 4. c. 2. n. 13. ac LANGIUS Introd. in Notit. Legum nauticarum c. 9. p. 64. Illud tamen ambabus largior, accessisse successu temporis ex mixtura Juris Romani, Canonici atque saxonici, præcipue vero ex statutis nauticis Wisbientibus atq; recessibus hanseaticis ad Lubecensium constitutiones Jurium diversa argumenta. Ut hinc nihilominus tuto*  
*affir-*



affirmari liceat, quod in plerisque Jus Lubecense sequatur mores germanorum veterum ac æquitatem Juris Naturæ. Mutavit quidem per auctus atque accessiones Jurium primogeniam figuram, sed quam sæpissime tamen longissimo intervallo distat à Jurium peregrinorum institutis. Laudem merentur in hoc argumento *Dn.* GOTFR. CHR. GOETZIUS, JO. AMSELIUS ac G. JO. DINKLERUS, quorum primus Juris Lubecensis æquitatem ex moribus ac Jure naturæ evicit; alter proverbium Juris Lubecensis: *Hand muß Hand wahren*, nec non disconvenientias juris communis civilis cum Lubecensi in hæreditatibus ab intestato delatis; tertius vero Juris Lubecensis Convenientiam cum Jure communi in causis criminalibus examinarunt ex instituto. Sua nec laude defraudandi sunt qui Jus R. cum Jure Lubecensi in præcipuis causis contulerunt, utpote ANT. SAM. SONNEMANNUS, SAM. STRYCRIUS, GEORGUS AD. CAROC, JOACH. JO. RANGO, FR. ERN. VOGTIUS, nec non FRIDER. MOVIUS, qui differentias



rentias Juris romani & Lubecensis ex *Meviano commentario* excerptis, tum & ANDR. BILDERBECKIUS, qui sub illustri LYNKERO differuit *de differentiis juris Lubecensis patrii & Civilis*, ac quos sub initio nominare debuissim JO. KOLLIUS, B. JO. SIBRANDUS, *Doctissimus Dn.* FRID. GERDESIUS, SAM. FRID. WILLENBERGIUS, EL. LUD. KUNDENREICHIUS, JO. SAM. STRYCKIUS, JUSTUS HENN. BOEHMERUS.

## XXV.

*Ejusque  
auctori-  
tate.*

Omnes illi te curatius edocere poterunt in moribus germanorum, quos Jus Lubecense à Jure Romano complectitur dissonantes. Ut itaque quaestione opus non sit, qui factum, quod hoc locale jus Lubecam fuerit egressum, obtinueritque in Ducatus megapolitani civitatibus plerisque, etiam per chartam *Henrici Burewini Ildi* apud LUNIGIUM *Cont. 4. R. A. P. 2. p. 681.* in civitate *Rostochiensi*, simulac in utraque Pomerania, Principatu Caminensi, Porussia, Livonia, Jezohoa, ac plurimis Holsatiæ Civitatibus usum & autoritatem.



tem. WERLHOFIUS *de Jur. patr. spec.* 2. §. II. & p. 202. SIBRANDUS *Comm. ad jus publ. Lub. p. I. S. X.* MUTZENBECHER *de conven. & discorv. jur. comm. & propr. Hamb. p. 31.* CYPRÆUS *Annal. Slesvic. p. 252.* SPANGENBERG. *Chron. Schaumburg. L. 2. c. 7. p. 87.* GRYPHIANDER *de Weichb. c. 77. n. 3. sq.* Ipsum, quod literarum artiumq; emporium est, *Hamburgum*, ab Athenis Lubecensium Leges aliquando accepisse, satis quidem confirmat *Friderici II. Imperatoris privilegium de anno 1232.* quo meminit libertatis Hamburgensibus ab *Adolpho Holsato* concessæ, *utendi antiqua justitia Lubecensi.* Equidem accipiuntur vulgo hæc verba *de quibusdam tantum juribus pascuorum aliorumq; possidendorum & ad Comitatum Nordalbingiæ pertinentium* & ita explicantur à LAMBECIO *Or. Hamb. L. 1. n. 98.* & CONRINGIO *O. J. G. c. 28. p. 1701.* verum enim damus quidem hoc, quod illo ævo vocabulum *justitiæ* in chartis ac diplomatibus significaverit plerumque jura singularia & regalia, ceu ex HUNDII *Metropoli docui in disqu.*  
de



de gennina origine potentatur Principum p. 49. n. 3. Verum nec infrequenter per justitias intelliguntur *Leges*, & carebit dubio controversia, si legeris ADAMUM THRACIGERUM, *Syndicum Hamburgensem ad. a 1227.* Ubi justitiam Lubecensium interpretatus est per Jus Lubecense municipale. Cum hujus testimonio confer proœmium Legum, à Lubecensibus, Civitati Tunderensi indultarum, ubi tot habes privilegia & chartas, in quibus distinguitur *jus pascuorum* à *Justitiâ* ac jure municipali. DANKWERT. *Topogr. Holsf.* p. 85. Dn. MOLLER *Isagoge ad hist. Chersf. P. 4. c. 6.* LAMBECIUS *L. 2. n. 15. n. 165.* (\*)

## XXVI.

*Exemplum VI.*

Demum in hac periodo Jurisprudentiæ germanicæ provoco ad *Jura statutaria Cellensia*, quorum conditor fuit sub exeunte Seculo duodecimo, *Otto Strenuus*, Dux Brunsvicensis, quem-

ad.

---

(\*) Argumenta plura & exempla ex historia Imperii germanici & Megapoleos evolvi in *Specim. Docum. Ineditorum Mecklenburgensium* p. 8. 9. 23. f.



madmodum ex vetusto codice Curiaē Cellensis docet *Appendix juris statutarii cellensis a 1712. recogniti.* Ut summatim igitur rem contrahamus, usi sunt germani ab ævo ultimo *carolino* ad *decimum tertium seculum usque*, moribus ac consuetudinibus instar Legum alias copiose scriptarum; judicaverunt ex bono ac æquo & quamvis Principes nunc Leges particulares municipales ac provinciales ferre passim studuerint; tantum tamen abest, ut hæ incertitudinis Jurium litiumque protractio- nis fomites extiterint, ut potius in singularibus provinciis Juri ac æquitati faciliori accommodatæ fuerint in- serviverintque.

## XXVII.

In hac felicitate perstitit Jurispru- *De statu*  
 dentia *Seculi XII. primordic.* Mori *juris &*  
 bus enim ac æquitati habita ubique *justitia in*  
 est reverentia, & remotus à judiciis fuit *Seculo*  
 peregrinorum Jurium cultus. In pro- *XIII.*  
 gressu ipsius Seculi nequidem de scri-  
 ptarum Legum observantia cogitatum  
 est, & primas & ultimas par-  
 tes germani detulerunt domesticis in-  
 stitutis. Audiamus GODEFREDUM  
 G CO-



COLONIENSEM *ad a. 1208. & 1236.*  
*Curia, inquit, apud Moguntiam indi-*  
*citur & omnibus fere Principibus regni*  
*teutonici convenientibus pax juratur,*  
*vetera jura stabiliuntur, nova, novæ*  
*veteris juris germanici conclusiones,*  
*statuuntur & teutonico sermone publi-*  
*cantur.* Idem testatur constitutio Cæ-  
 saris Rudolphi in comitiis Wurtzbur-  
 gensibus, his verbis decreta: **Wir**  
 setzen und gebieten bi unsern Hulden  
 daß alle die Berichte haben/recht rich-  
 ten/ als des Landes Sitt und  
**Gewohnheit ist.** Et optime quidem  
 ex his notat & colligit LEHMANNUS  
*Chron. Spirensi L. V. c. 167. 208.* Daß  
 die Käyser/Fürsten/Stände und Städ-  
 te des Reichs die alte teutsche Rechte  
 wieder erfrischt und allenthalben in  
 den Landen üblich und gangbar gehal-  
 ten haben wollen / daß man daher den  
 Brauch der Römischen-Rechten um  
 diese Zeit in Teutschland noch nicht  
 eingeführt / sondern sich einjedes Volk  
 und Stadt mit seinen eigenen Rechten  
 und Gewohnheiten / die sie von Alters  
 hergebracht / beholffen habe.



## §. XXIX.

Insignis nihilominus circa ipsam *De Specu-*  
 Jurisprudentiam, judicia, Leges, & *litoris sa-*  
 ordinem procedendi nunc contigit *xonici co-*  
 conversio atque mutatio. Tacemus *natu in ju-*  
 Cæsarum *Fridericorum, Rudolphi ac re-* *rispruden-*  
 liquorum Leges & constitutiones, res *ti a germa-*  
 publicas plerumque respicientes; res *nica.*  
 nobis est cum Juribus statutariis & pro-  
 vincialibus, cum Legibus Germano-  
 rum iterum scriptis, ad quas, ex italicâ  
 forte imitatione, (\*) nunc studio per-  
 tinaci & insolito germani animos ap-  
 pulerunt & excitarunt. *Principio ger-*  
 maniaë regiones implevit *Speculatoris*  
 REPKOVII collectio Juris saxonici  
 provincialis & feudalis, cui accessit Jus  
 Municipale *Weichbildicum Magdebur-*  
 gense. Turbat ille ac miscet confue-  
 tudines genuinas germanicas, ignorat  
 indolem Legum Saxonicarum & ger-  
 maniaë jurium, stupidus est, nugax, fa-  
 bulosus inque ipsa patria intolerabiles

G 2

sunt

(\*) Ex germaniaë historia genuinaë rationes  
 suppeditantur in *Tr. De Juris Romani*  
 & *germanici fontibus usque eorum forensi*  
*hodierno* §. 13. p. 67. 92.



sunt illius nævi & nenix in utroque jure publico & privato. *Bohemix Electorem* à Jure suffragii excludit; obsoleta in processu judicario incrustat, multa absona de duorum gladiatorum potestate fingit, ut ubique regnent confusio, imprudentia atque figmenta. Durissimæ sæpius occurrunt constitutiones, impertinentes digressiones, & si quis Critices vel Historix documenta ab illo requisiverit, illum indubie ablegabit ad doctrinas de Septem mundi ætatibus, de quatuor monarchiis, de privilegiis Judæorum Vespasianeis, de electione Regis germanorum aliisque argumentis, de quibus disseruit instar nugacissimi glossatoris. Istæ licentiæ fabulandi æque reperiuntur in Jure Weichbildico, cujus autor in arte fingendi adeo peritus est, ut de origine servitutum, de origine Weichbildorum ab urbe Babylonica, ac de capitis pœna, Regi Romanorum infligenda, stolidè & infantissime arioletur. Juris Romani pariter ubique haberi flosculos, non est, quod mireris. Hoc enim, quamvis nondum transisset in usum publicum & curialem, tanta vi tamen

&amp;



& autoritate occupaverat animos judi-  
cantium ac Literatorum, ut gloriæ si-  
bi duxerint, si in controversis causis  
recitare potuerint particulas juris Ro-  
mani.

### §. XXIX.

Ad sunt exempla *Comitis Schwartz- Et Roma-*  
*burgensis ac Cesaris Rudolphi primi,* *na.*  
quorum alter *in Jure limitum contro-*  
*verso,* alter vero *in possessionis Titulo*  
*Ducis Bavariæ* ex Legibus peregrinis  
diutius disputavit hausitque utriusque  
argumenti decisionem. Idem dicendum,  
est de hujus ævi Statutis Provinciarum  
atque Principum ordinationibus. Re-  
pletæ enim plerumque sunt Patrum  
canonibus & legibus transalpinis, fa-  
bulis conspersæ sunt, sed destitutæ do-  
ctrinis Juris germanici genuinis, ultra  
processum, & circa argumenta lega-  
lia haud occupatæ. Ergo mirum non  
est, *Speculatorem* vitulo Latii in patriâ  
aravisse, ac obtrudisse germanis Roma-  
norum assertiones de postulando, de  
proprietate insulæ in flumine natæ, de  
mutatione alvei, de famæ macula & de  
de cantata Calfurnia. Frustra in codice  
Legum quæsi veris thesauros & cimelia



Jurisprudentiæ germanicæ ; frustra ex ipso patrii juris & judiciorum cum SCHILTERO susceperis restauratio- nem. Potuisset sua opera supersedere Seculi XIV. *monachus Rastedensis*, GLOESTENIUS, qui dolet, quod in comitatu Oldenburgensi fata Judices & mores extinxerint, ut ipsi igitur nunc curæ sit cordique describere *Speculum Saxonicum* illudque curiis offerre. KRANTZIUS *Saxon. L. 2. c. Cel. 7* Ctus AUG. LEYSERIUS *Collat. Jur. Sax. cum jure rom. diff. 1. §. 20. sq.* SCHILTER *Ex. 4. §. 19. n. 6. lit. 6.* RINCK *de Spec. Sax. §. 6.*

## §. XXX.

*Ejusque  
Auctori  
tate.*

Habet hæc rapsodia, Speculi Saxo- nici conditorem, hominem saltim pri- vatum, nulla publica Lege nacta est ro- bur unquam atque assensum. Nihilo- minus vel propter gentis Saxonicae amplitudinem, vel propter descriptio- nem plurium morum in plurimis pro- vinciiis germaniæ usitatorum, tantam obtinuit auctoritatem, ut renitentibus quidem Pontificibus, præter utramque Saxoniam & Westphaliam, occupa- verit judicia Marchionatus Branden- bur-



burgici, Principatus Anhaltini, Holfatiæ, utriusque Lufatiæ, Silesiæ, Bohemiæ, Poloniæ, Poruffiæ, Transylvaniæ, quin imo Daniae, Ducatus Bremensis atque Pomeraniæ. Verum decrevit deinceps Speculi hujus usus & autoritas, tum propter totuplices defectus, imperfectiones & nævos; tum propter emergentes canones Pontificum Legumque Justinianeï Juris autoritatem. Addit Vir Excell. CHR. SCHREITERUS *Diff. de origine Juris Saxonici* pos. 25. p. 28. ipsam potestatem Principum legislatoriam. Hæc enim extra provincias saxonicas imminuit præcipue Juris saxonici autoritatem, huicque speciatim in Ducatu *megapolitano* & terris Brunsvicensibus derogavit. COTHMANNUS *Vol. I. respons.* 26. n. 262. TORNOVIUS *de feudis Megap.* L. I. c. 2. p. 155. p. 697. *Constitutio Ducis Rudolphi Augusti a. 1675. conf.* **Gerichts-Ordnung der Stadt Luneburg** tit. 8. §. 2.

## §. XXXI.

Equidem *Carolus quartus*, dum *Indole & dignitate.* constitueret Saxoniae Electorem Imperii vicarium; vim Juris Saxonici ejusq;



auctoritatem confirmavisse, nullas tamen, nisi regiones, in quibus illud tunc usum obtinuerat, germanicas & plagam saxoniam ab allemannica distinctam subintellexisse, fertur. Legi possunt Doctores qui Juri saxonico omnes provincias, quibus Vicariatus Saxonius præest, obstrictas esse asserunt, & tuto militant pro usu *juris SPECULATORIS*, si constet, provinciam sitam esse in illo tractu, qui Saxoniam & vicariati Saxonico vindicatur. Speculi enim receptionem universalem in hoc argumento supponunt, & uti bombyces filum, ita *aureæ Bullæ sensum c. 5. n. 2.* in quo solatium quærunt, ex cerebro eliciunt. (\*) Nulla hodie speculo superest auctoritas, nisi saltem consuetudinaria, quinimo in ipsa Saxoniam, etiam Ducali, illi derogaverunt constitutiones provinciales & mores contrarii,

---

(\*) Dixi de Speculi Saxonici Indole obligandi & usu fusius in *Tr. de Juris R. Indole & diversa obligandi ratione forensi apud Romanos & Germanos, speciatim in libello de Juris R. & G. fontibus eorumque usu practico hodierno.*



rii, ut ideo ex usu nunc æstimari debeat Jus Speculativum saxonicum. LYMNÆUS L. 3. c. 10. n. 41. c. 12. n. 25. PISTORIUS L. 1. qu. 16. n. 11. L. 2. qu. 13. n. 82. ANDR. SCHEFER *Quæst.* 9. P. 2. n. 66. LYNCKER *Decis.* 1264. ac Dn. ab HARPRECHT *de non usu Speculi Svevici in proæmio.*

## §. XXXII.

Non vero solius Saxonici speculatoris conatus Jurisprudentiæ invisus fuit; diversa etiam Legum Svevicarum natura & ratio novas turbas in Germania peperit. Distincta erat Germania in *Saxones & Francos*. Utraque gens percita tota fuit cæstro æmulationis & laudis præeminentiæ. Docet illud famosa Germaniæ divisio in *superiorem seu Francico allemannicam & Inferiorem sive Saxonicam*. Pendet ex hac distinctione, quam *ab usu Speculorum* perperam alii accersent, *duplex in Imperio Germanico vicariatus*. FREHER *Orig. Palat.* p. 1. c. 16. TOLNER *Hist. pal.* c. 4. lit. a Dn. STRUVIUS *Synt. J. P. diff. V.* §. 11. Non satis erat, in Saxoniis divulgavisse Positiones à Speculatore conflatas,

*De Speculi Svevici Origine & elogio.*



tas, incitavit stimulatque etiam gloria incertum autorem, vel si GOLDASTUM sequi mavis, BERTOLDUM de GRIMMENSTEIN, alteram Germaniæ partem meridionalem, vulgo Alemanniam, Helvetiam, Rhetiam, Sveviam, Terras Rhenenses, Bavariam, Hassiam, Austriam, Franconiam atque provincias adnexas complexam, Juris Svevici speculo, ex Decretalibus, Legibus Justinianeis, scripto Jure & consuetudinario mirifice compilato obruere ac infestare. Quisquis sit auctor, simia est Speculatoris Saxonici, quem, arte plagiaria & equestri, sæpius exscripsit & lacecessit. Opus igitur non est Argumentis adversus illos, qui Svevico speculatori ætatem vetustiorum tribuunt. BEYERUS *Pos. ad ff. L. 1. tit. 2. n. 373.*

## §. XXXIII.

De ipsius  
naniis in  
juro pri-  
vato, feu-  
dali, pu-  
blico &  
ecclesia-  
stico.

Irrigavit iste prata sua quisquiliis exoticis, aravitque in legatorum, ex-hæredationis, Testamentorumque causis vitulo, a quo germani hætenus abhorruerant, Latii ac Longobardorum. Indoctas glossas ac frivolas narrationes speciatim cantat in argumen-  
tis



tis Juris publici, ut taceam putida ipsius commenta *de feudorum cum Sceptro investitura, de ingenuitate Regis Germanorum, de Principe Ecclesiastico proscripto, & de Juribus Archiprincipum vel Electorum.* Sine indignatione legi non poterunt formulæ commendatitiæ quoad Pontificum auctoritatem, & Juris canonici, circa connubia, dispositiones. Parum abest, quin *ban-*  
*num & excommunicationem* simulque universam papalem *Tyrannidem & Monarchiam*, ex Legibus divinis ac Judæorum forensibus & ceremonialibus, quas sæpius germanis obtrudit, adstruat atque confirmet. Taceo evidentes iniquitates, inutiles solennitates judiciales, somnia circa Leges & jura, interpolationes, ac dubiæ auctoritatis adjectiones.

## §. XXXIV.

Causæ hæ idoneæ omnes satis sunt ad cōmonstrandum, quod crescente usu Juris Justinianeï, usus Speculatoris Sævici sensim in causis privatorum decreverit? Publici juris doctrina deterioris in hoc argumento habita est conditionis. Non solus *Carolus IV. Tit.*

*Ejusque  
abusu.*



*Tit. V. A. B.* provocavit ad inepta Speculatoris inventa ; sequenti Seculo & Comites Wurtembergenses & Lotharingiæ Dux in *causa quæsitæ administrationis tutelaris* ad sacram hanc anchoram se receperunt. In controversiis illustrium plerumque ad usum speculi tantum non omnes confugiunt. Quorum ausus excusari non poterunt, nisi docuerint, Speculatoris assertiones cum genuinis Germaniæ consuetudinibus, observantiis ac monumentis historiarum Legumque Imperialium ex alle conspirare. HERTIUS *Diss. de Consultat. Leg. & Judic. T. 2. Opusc. p. 432.* SPEIDELIUS in *Specul. jurid. voce Sachsenspiegel.*

## §. XXXV.

*De fatis  
Jurispru-  
dentia in  
Seculi  
XIII. de-  
cursu &  
Seculo  
XIV.*

Verum enimvero, has Jurium collectiones Germania in his Seculis non saltim tulit ; in singulis enim provinciis nunc particularibus Legibus & statutis cœpit abundare ac superbire. Ludovicus Bavarus veteres leges Bavaricas correxit ac novas condidit PROVINCIALES, in quo instituto illum *ad instantiam Statuum* secuti sunt Leopoldus Dux Austriæ, Comes Tyrolen-



*lensis, & Principes plerique Germania.*  
HUNNIUS *Metropol. Salzburg. T. 1. p.*  
450. Ubique nunc ferè pronulgata sunt  
*Jura STATUTARIA* Civitatum, do-  
cente cumulo Legum municipalium  
apud Hamburgenses, Nordhusanos,  
Augustanos, Argentoratenses, Spiren-  
ses, Bremenses, Oldenburgenses, Brun-  
svicenses, Goslarienses, Luneburgen-  
ses, Einbeccenses, Ulcenses. Hanno-  
verana Civitas excipienda est, cum ni-  
hil dederit statutorum municipalium.

## §. XXXVI.

Quantamutatio ex totuplici jure  
particulari jurisprudentiæ & judiciis  
acciderit, illud quidem non indiget ge-  
nere divinationis. Non invidenda est  
cuilibet Civitati sua sanctio, etiam ab  
aliarum civitatum statutis diversa, pro-  
uti utilitas vel necessitas propria figil-  
latim requisivit, voluitque Principum  
potestas legislativa. In tanta Varie-  
tate atq; diversa natura Territoriorum,  
quibus Germania componitur, univer-  
salis certe non potuit expectari con-  
sensus. Illud tamen dolendum est, quod  
tot dissensus reperiantur & conflictus  
statutorum Juriumque municipalium  
in

*De*  
*Origine*  
*statuto-*  
*rum &*  
*Legum*  
*Mnnici-*  
*paliu.*



in unius Principis ac Imperantis uno municipio, una regione, unoque territorio. Ex quibus non possunt non proficisci Jurium incertitudines ac fluctuans Justitiæ administratio.

§. XXXVII.

*Earumq;  
autoritate*

Orta nuuc sunt vulgaria Ictorum, inprimis Practicorum, brocardica fabulosa: *Jura provincialia esse supplenda ex Jure Romano; Jura statutaria explicanda esse ex Jure Romano & ita esse interpretanda, ut quam minime recedant à Jure communi, nec attendendas esse, nisi demum post jus romanorum, in subsidium.* Hæc axiomata ita sunt comparata, ut eadem veritate statueris, Sacras literas ita esse accipiendas ut quam minime ab *Aristotelis* libris metaphysicorum abeant, ac, si dubium occurrat, ex his esse illustrandas: quali enim ratione se habet *Aristotelis* metaphysica, tanquam præclarum opus philosophiæ primæ, quæ vulgo in Theologia usum suum ostendit; eadem nec alia ratione æstimari debet corpus Juris romani, ut eximium systema Jurisprudentiæ in artem collectæ, quatenus in juribus singulorum populorum expli-



plicandis instar subsidii esse potest. KULPISIUS *diff. epist. de Legum veterum autorit.* §. 51. Apposite MEVIUS *ad Jus Lubec. qu. præl. I. n. 57.* Non Leviozem, inquiens, errorem illos errare existimo, qui ex Juris Civilis rationibus statutorum equitatem examinant, quam qui ad eandem formam cuilibet ætati, sexui & corpori crepidas calceosque conficiunt. Sed nihilominus his regulis litant lctorum plerique, quamvis dissentiant sæpius in definiendo *Jure communi*, quod alii accipiunt pro jure ac speculo saxonico, alii pro solo Jure Romano. SCHURPF *Cent. I. cons. 55. Lud. AB ASSISIO Dec. 52. MEVIUS Dec. 123. P. 3.* In eo tamen conveniunt, restringendas esse Leges provinciales, & strictissime ex communi jure esse explicandas. Jo. COPPEN *Us. præct. Inst. L. I. Obs. 17. n. 21.* HENR. BRUNING *de var. univers. Specieb. concl. 51.*

## §. XXXIIX.

Dabit casum BRUNNEMAN- *Explicatio*  
NUS *P. I. Dec. 3.* in simulque respon- *one.*  
sum; *Satutum est, ut uxor pro marito*  
*solvere teneatur, quæritur, an idem*  
*quo-*



quoque in concursu Creditorum verum sit, ita ut uxor omnibus Creditoribus solvere teneatur, etiamsi ad extremam redigatur paupertatem? Hoc procul dubio iniquissimum videtur & Juri Civili contrarium, quo per pactum dote spoliari uxor nequit L. 2. & 4. ff. de pact. dot. Ergo statutum hoc restringendum, ut quam minime à Jure Civili recedat, & ideo non locum habere in casu, quo maritus patitur concursum creditorum, huncque in modum responsum est an. 1664. & 47. Verum huic responso opposuit Dn. ZACH. HESSE de usu & autorit. jur. romani in foris. Poruss. ducalis §. 13. aliud, illudque contrarium Lipsiense, quod sequitur regulas justæ interpretationis & mentem Legislatoris, non Juris Romani. Debent enim singularum gentium & provinciarum leges ex propriis atque domesticis rationibus, non illatis ac peregrinis, æstimari. Illæ vero domesticæ sunt rationes, quæ legislatorem ad condendam legem commoverunt. In quarum dijudicatione opus est scientia directrici Civili, legislatoria, consultatoria, judiciali ac naturali;

tum



tum etiam cognitione principiorum Juris gentium, historiæ cujusvis rei-publicæ, temporum, personarum rerum & circumstantiarum. Nisi enim constet de occasione Legum earumque rationibus, frustra te accinxeris ad eruendum genuinum sensum & instituendam applicationem. Non contemni debent monita, quæ de *Synesi Legislatoria dederunt* JOA. HOPPERUS *in Seduardo*, ac VINC. PLACCIUS *in Fcto perfecto*, etiamsi non ubique rem acu tetigerint, & posterior imprimis inutilibus regulis interpretationis rem reddiderit obscuriorem.

§. XXXIX.

Supersunt & aliæ difficultates ex *Collisione* tot statutorum Juriumque Civitaten- *& confli-* sium copia oriundæ. Traxit enim ex *ctu.* hoc ævo suam originem controversia *de statutorum conflictu eorumque in* *exteris valore.* Anxie nunc circa hanc, æque ac circa quæstionem, *quænam* *lex in collisu illo sit potior?* disceptant Commentatores innumeri *ad* *L. cunctos populos C. de S. Trinitate.* Leges enim cum sæpius inter se dissonent, & diversa in eodem negotio ju-

H

ra



ra multoties concurrant, frequens non minus quam difficilis, censente HUBERO *in posit. ad ff. de LL. n. 22.* hodie exsurgit quæstio: Utrius Reipublicæ vel Territorii Leges, circa negotia, aliorum Statuum rationes attingentia, debeant observari? Et testatur *Cl. VOETIUS ad ff. de Const. Pr. n. 1.* non raro prope inexplicabiles de statutorum, Legumque ac Consuetudinum Provincialium ac municipalium auctoritate & viribus surgere Controversias, quousque suam quæque potestatem exserat, ubi de diversis & sæpe contrariis in diversis regionibus de re eadem placitis ac institutis confiterit? Jam enim exinde res dubia evadit ac difficilis, quod unius loci Magistratus, alterius Territorii statutis atque decretis haud obligetur. Dicis, requirere rei necessitatem, ut, cum de statu hominum sit quæstio, uni solummodo judici circa hunc Juris dicendi facultas relinquatur. Sequeretur absurdum hoc alias, hominem toties immutare conditionem, quoties iter fecerit, vel navigans delatus fuerit in diversa territoria, ut itaque hic  
sui



fui juris, illic alieni juris possit aestima-  
ri. Sed nihilominus, ut voce plebeja  
utar, *clara* sunt verba *Legis* 1. C. *de*  
*Sentent. pass. & restit.* quod juri con-  
veniat, ut eandem personam eadem  
etiam personæ qualitas, quæ accidens  
est, ac uniformis, ubique comitetur.  
Nec sustinet censuram assertio, quod  
gentes in libertate naturali constitutæ  
ad mutuam statutorum admissionem  
quasi vi legis invicem sibi ostingantur.  
Illud enim contrariatur indoli liberta-  
tis ac naturæ civilis Imperii & Legis-  
latoriæ potestati. Hæc autem ultra fi-  
nes territorii invitis Legislatoribus  
alibi non porrigitur, nec extra il-  
lud in cives alterius dominio subjectos  
*secundum principia Juris naturalis di-*  
*vinique* habebit vim atque virtutem. Et  
nequidem hanc nanciscitur ex *jure po-*  
*sitivo*, quod cogendi potestatem ex-  
tra territorium non extendit. PAU-  
LUS *L. ult. ff. de Jurisdic.*

§. XXXX.

Omnia hæc commoverunt *Actos*  
*Belgii*, ut hoc argumentum in ordi-  
nem componere allaboraverint. Cum  
enim inferior Germania insigni libera-

*Præcipue*  
*in Germani-*  
*nia &*  
*Belgio.*



rum atque independentium Civitatum copia abundet, Belgiumque fœderatum & univcrsum, morum, institutorum, legumque diversitate ac dissimilitudine sit instructissimum, superetque adeo ceteras Germaniæ partes, mirum non est, quod, casibus inter tot concertantes Leges quotidie obvenientibus, Belgii Litterati operas suas in hoc argumentum posuerint collocaverintque. Habemus itaque in hanc causam de colli. Su statutorum solidos Commentatores, NICOL. BURGUNDUM *ad Consuetudines Flandriæ*, ARGENTRÆUM *ad Consuetudines Britannicas*, CHRIST. RODENBURGIUM *in Tractatione de Jure quod oritur ex statutorum vel consuetudinum discrepantium conflictu*, opusculo *de Jure conjugum præmissa*: PAULUM VOETIUM *de Statutis*: JOANNEM & ULR. HUBERUM *in commentariis ac prælectionibus ad Pandectas, titulo de Legibus*. Mihi vero & his palmam præripuisse visi sunt JOA. GOTTFRID. MEIERUS *Vir doctissimus, de statutorum conflictu inque exteros valore c. 1. §. 4. 5. 6. 7. c. 2. 3. 4. Cel.*



*Cel. HERTIUS Diss. de collisione Legum Sect. 4. & B. TITIUS Jurispr. Priv. Rom. German. distinctis capitibus.* Brevior quidem hic ultimus fuit, quam ubertas materiæ requisivit, alter vero ex Juris naturalis ac Romanorum doctrinis rem solide quidem repetiit, sed utriusque defectus Primus, quem laudavi & secutus sum, feliciter emendavit supplevitque genuinus *Titii* discipulus.

§. XXXXI.

Nec tam perplexa est hæc ex statutorum discordia oriunda controversia, si illam saltem repurgaveris ab inconcinnis interpretum commentis, adeoque postliminii jure restitueris integritati atque simplicitati. Non enim hic spatium dandum est *fictionibus*, quas plerique quidem ad Leges ferendas utiles ac necessarias existimant, sed omni jure ineptas dixeris ac generatim otiosas. EBERTUS *de eo quod fit ipso jure Sect. 2. §. 8. p. 387.* TITIUS *de fictionum Romanarum natura atque inconcinnitate p. 16.* Male enim hic applicueris dogma, quod nonnulla iura ad personas tantum, nonnulla ad res pertineant. Non opus hic est per-

*Continuatio hujus argumenti.*



peram efficitis statutorum speciebus atque classibus *Personalium, Realium atque mixtorum*. Tota enim difficultas negotii ex his traxit originem, adeo ut citra rationem Scriptores se invicem torqueant in explicandis vel constituendis Statutorum Speciebus, quas inepte venditant pro certis & constantibus. Et ne quidem conveniunt in determinatione classium.

§. XXXII.

*Et dissensus Interpretum.*

Nunc alius fingit mixta Statuta, quæ alter redigit ad speciem personalium. Alius hanc iterum expungit substituitque classem realium. Et dici nequit, quantum concertent circa intellectum legum: *Minor bona non alienat; Filiusfamilias non testatur*; quas alii referunt ad speciem realem, alii Secus, ceteri iterum in contrarium. ARGENTRÆUS *Consu. Britan. t. 206.* SURDUS *Con. 257. n. 15.* MEVIUS *ad Jus Lub. qu. prælim. 4. n. 26.* Ut mirum ideo non sit, quod fere *bella statutaria* ex tot Juratorum dissidiis orta fuerint, & contra TIRAQUELLUM, GRÆVEUM, MUSCULUM, FELTMANNUM & MEVIUM, qui distinctionum classes



classes mirifice defendunt, dissentientes CRAVETTA, NATTA, PUTEUS, MENOCHIUS, PEREGRINUS, RIMINALDUS ac alii, copias suas in aciem eduxerint, iterumque, qui in principio æstimandi personalitatem non conveniunt, etiam adversus hos militaverint pugnaverintque. MASCARDUS *de Statutorum Interpret. concl. 6. n. 113.* Cum tamen res nec ex sua natura nec ex ipsa, quam nemo inficiatur, *varietate statutorum*, sit impedita. Optime huc respicit Dn. MEYERUS *de stat. confl. p. 7. 14.* Quod si inquis, proinde hoc argumentum, ex propriis fontibus repetatur, Civilia bene separentur à naturalibus, quodvis membrum ex rationibus domesticis rite explicetur, nec humanitatis officia, quæ omnino hic in censum veniunt, cum perfecto jure confundantur, non dubitandum est, quin omnis difficultas facili negotio possit superari.

## §. XXXXIII.

Si enim circa aliquod negotium duorum Territoriorum Leges collidantur, utrius præferri debeant aut postponi? in tres circulos redit, quicquid

*Eorumq;  
compositio*



est discrepantium legum ac statutorum. Vel enim actus in aliquo loco de rebus, illi & agentium arbitrio subjectis, vel ab incola vel forensi suscipitur, vel actus juxta Leges alicujus loci celebratus spectatur apud exteros, vel ex certo denique loco in Territoria aliena & res ibi fitas agitur. Quilibet memoratorum casuum singulari proprioque innititur fundamento, nec ex solo Jure romano pendet, nec ex solo cujusdam Imperio Civili, nec solo Juris naturalis inter gentes decreto. *Primus casus attemperandus est Imperio Civili. Secundus nititur Jure naturali perfecto, ac obligatorio. Tertius vero validitatem habet accipitque ex latioris Juris Naturæ fundamentis honestatis, decori, comitatis ac humanitatis, vel robur suum nanciscitur ex ipso jure conventionum & pactorum. Ergo frustra habuerunt plerique Juri romano rationem, cujus usum vendidant pro universalis. At probent, quæso, Jus illud propria virtute Civitatibus imposuisse parendi necessitatem, ut Jura illarum Civiumque actiones ex illo debeant dijudicari. Ad sunt originaria principia, quibus standum est præ subsidia-*



fidariis ac subservientibus , quorum valor est ex recepto , salvis institutis domesticis. Multa sunt , quæ prolixius circa hoc argumentum disputari possent, nisi jam commonstrarem, quod Jurisprudencia passa quidem sit etiam ex statutis mutationem , verum nondum prolapsa sit in omnimodam corruptionem ac Incertitudinem. Taceo reliquas ex hac metamorphosi Jurium, circa statutorum Interpretationes ac rationes singularum Legum municipalium, ortas disceptationes & lites frequentiores.

§. XXXIV.

Duo in hac , circa quam versamur, Jurisprudenciæ ætate seculi decimi tertii & quarti, supersunt momenta, quæ , antequam ex iisdem Seculis Juris & justitiæ corruptæ origo & metamorphosis significetur , hic debent commemorari & intelligi. Pertinent enim ad mutationem *Jurisprudenciæ & Judiciorum.* Ad *Jurisprudenciam* accessit occasione conditarum Legum municipalium vis & doctrina consiliorum, provocationum & responforum. Tantam enim celebritatem Civitatum qua-

*De appellationibus ejusdem ævi XIV.*



rundam statuta consecuta sunt, ut vel  
 utro aliæ Civitates iis uti cœperint.  
 Supra monuimus, ad normam ac  
 exemplar Susatensium, Lubecensium,  
 Coloniensium & Aquisgranensium,  
 multas alias Civitates fuisse compo-  
 sitas. Idem de Tribunali ac Jure  
 Magdeburgico licet asserere, quod in  
 Polonia, Bohemia, Marchia, Misnen-  
 ses & Lusacenses civitates autoritatem  
 porrexit, habuitque secundum excel-  
 lentiam *nomen Juris oppidani*. MEI-  
 BOMIUS *Introd. in hist. inf. Saxon. p.*  
*80.* STEPHANI *de Jurisdictione L. 2.*  
*c. 7. n. 359. sq.* LYMNÆUS *jur. publ.*  
*L. 7. c. 32. n. 7.* GRYPHIANDER *de*  
*Weichbildis c. 80.*

§. XXXXV.

*Sigillatim  
 dem Zug-  
 recht.*

Et hac ratione transit in Germa-  
 niam consuetudo, vi cujus civitas in  
 dubiis ac controversis causis ad civita-  
 tem aliam provocare & requirere cæ-  
 pit consilium; quod vocare consueve-  
 runt **das Zugrecht**. Qua nvis vero  
 hæc consuetudo nec proprie sit *appel-  
 latio*, nec nuda *prorogatio Jurisdicti-  
 onis*; est tamen jus aliquod interme-  
 dium venitque sæpius, notante WEH-  
 NERO



NERO *observ. pract. voc.* Zugrecht/  
 wann der Zug von dem Gericht der *In Srevia.*  
 Landvogten Hagnau an das Landge-  
 richt daselbsten gehet / sub nomine ap-  
 pellationis. Proinde in Westphalia *Westphalia.*  
 nota sunt vocabula: **Die Überfahrt/**  
**die Hauptfahrt/** vel, si plures den-  
 tur instantiæ ulteriores, die **näheste**  
**Überfahrt/** sive *proxima appellatio*,  
 uti docuit ex actis *Civitatis Hamensis*  
*laudatissimus* **Actus ENGELBRECHT**  
*in Juris Brunsv. Luneb. enucleati spec. 1.*  
*p. 19. a. & Commentat. de Servit. Jur.*  
*publ. Sect. 2. m. §. 12.* Idem indigitat *Spira.*  
**LEUBERUS de Stapul. Sax. n. 715. sq.**  
 asserens, quod Poloni *Jure Weibhcildi-*  
*co Magdeburgensi* usi sint, & appellare  
 consueverint ad palatium illud Saxoniae,  
 quod vocat scabinatum Magdeburgi- *Magde-*  
 cum. Juris spirensis quidem LEH- *burgi.*  
**MANNUS Chron. Spir. L. 4. c. 13. p.**  
**317. p. 652. c. 121.** ante Seculum deci-  
 mum quartum, quod miratur CON-  
**RINGIUS de O. I. G. c. 28. p. 171.** non  
 meminit, indubie tamen ejus tanta fuit  
 existimatio, ut vicinæ urbes in contro-  
 versis judicialibus sæpe ad id appeallve-  
 rint.

§. XXXIV.



## XXXVI.

Ue & in  
Provin-  
ciis Brun-  
svicensi-  
um.

De Legibus Civitatis Brunsvicen-  
sis LEIBNITIUS *Introd. in Script, rer.*  
*Brunsvic. T. 3. p. 16.* testatur hæc: *Con-*  
*stat alioqui, complures civitates Saxo-*  
*næ inferioris in dubiis causis ad jus Ci-*  
*vitatis Brunsviconsis recurrisse. Col-*  
*lineant verba LETZNERI Chron. C.*  
*Dassel. & Einbec. P. 2. c. ult. L. 7. app.*  
*f. 121. b.* quod Dux Brunsvico Lune-  
burgicus *Heinricus* jura Brunsvicensia  
indulserit civitati Einbecensi, quæ pro-  
vocavit in arduis & majoribus causis  
Brunswigam. Ex subscriptione anti-  
quissimarum legum municipalium Cel-  
lensium *apud LEIBNITIUM T. 3. p.*  
*484.* dispalescit, quod *Otto Dux* Civi-  
tati *Cellensi* facultatem impertierit, præ-  
ter statuta ipsi concessa. *Jure & con-*  
*svetudine uti Brunsvicensium ac Lune-*  
*burgensium.* Quibus nec minimam fu-  
isse hodieque esse statutorum authorita-  
tem, facile evincunt rationes *Auctoris*  
*Topographiæ Ducat. Brunsv. Luneb. p.*  
*215.* & *KRESSII V. Cl. in præf. ad differ.*  
*Fur. Civit. & statut. Luneb. Krugeri.*  
In difficilioribus enim quæstionibus  
vicina oppida iudicium Luneburgen-  
sium



sum iverunt consultum, ac hodieque *Ulzenses* horum Jure statutorio utuntur. Taceo *statuta Bremensia*, quæ ad normam civitatis *Oldenburgensis* æstimari solent. Eucleate **CONRINGIUS** *Exerc. acad. VI. de judic. reip. germ. §. 94.* Accessit tamen & illud, quod multæ urbes *Leges & statuta*, *Lybeca* tanquam a matrice sua acceperint, ut proinde in dubio hinc jus petere æquum sit creditum. Et vero hac potissimum ratione inductæ, olim *Polonica*, *Bohemica*, aliæque civitates complures provocarunt ad *Magdeburgi & Halarum Saxonicarum* amplissima quondam ad id instituta tribunalia. Plura idem §. 93. necit additque de his provocationum consuetudinibus exempla (\*) in quibus recensendis nec operæ pepercit **VICTOR** *de Caus. Exemt. conclus. 36. sub. f.*

§. XXXVII.

---

{\*) Accedit exemplum *Rostochiensium*, qui provocarunt *Lubecam* & etiam nunc provocare solent in *Causis civitatensibus & mercatoriis*. Fusius hæc dixi in *Specim. Docum. Mecklenb. imeditorum* p. 224. 229.



## §. XXXVII.

*Examen  
hujus pro-  
vocationis  
per gradus*

Distant vero hi mores à natura hodiernorum responforum & indole moderna appellationum universis parasangis. Jurisprudentiæ nec vulnera inflixerunt, nec Scaturigines sunt corruptelarum. Nititur enim illa quidem res naturali connexionem, ut, qui Legem dedit, reputetur pro optimo illius interprete. Desierunt diutius hujusmodi provocationes, mutatis in plerisque locis legibus antiquis & accedente superioris potestate. Certum tamen hoc est axioma: *Quod, ubicunque forte hujus generis appellationes obtineant, præsumendum sit, Leges loci, quas provocamus, vel viguisse olim vel vigere etiam nunc.* Si enim provocatio alicubi abolita fuerit; patet ex documentis, quod ibidem tum novum jus conditum fuerit & constitutum. Ex adverso provocationes sensim evanuerunt, & exspirarunt, simul ac Leges loci, ad quem facta est appellatio, alicubi passæ sint abolitionem exiliumque. Plane in hanc rem de abrogatione provocationis Polonicæ ad Magdeburgum scripsit NICOL. IASKIERIUS *in gloss. marginal.*



ginal. ad Jus Weichbild. art. 8. Articulus præfens & Sequentes quatuor partium afferunt utilitatis nobis: appellatio enim in Hallam & Magdeburgum ex regno poloniæ abolita est in anno 1356. per Ducem olim Casimirum Magnum Poloniæ Regem, locatumque jus provinciale in castro Cracoviensi, ut illic omnes in appellando recursum habeant.

### XXXVIII.

Hæc de Jurisprudentiæ augmen- De Judi-  
tis in his ævis. Restant *Judicia*, quo- ciis & Di-  
rum major, quam olim nunc esse cæ- cæsteriis  
pit cumulus. Supra evictum est, Ju- hujus ævi  
risprudentiam nunc absolutam fuisse præcipuis.  
in Legibus & statutis, quorum fulcra fuerunt mores & consuetudines. Judicibus cura fuit secundum Leges provinciales & usitatas consuetudines pronuntiare; & inde nunc orta sunt *diversa Judicia civilia*, cum Imperii, tum provinciarum. Præcipuum illorum quod hodieque floret est *Aulicum Judicium*, de quo ex instituto *Perillustris*  
JO. CHRIST. AB UFFENBACH &  
ERICUS MAURITIUS. Hujus loci non est, ex genuinis causis in hujus judicii



dicii originem ac indolem inquirere, utut vix dici possit, quanta ex hac cognitione in Jure publico, sigillatim in famosissima *de Judice in causis matrimonialibus Principum* controversia, pendeat vis ac probatio. Aliud in terris immediatis ac circulo *Austriaco, Svevico, Rhenano, Franconico* innotuit iudicium, *Rotbwilense* vocatum, à quo plerique Statuum ratione subditorum, aliique ex privilegio, consuetudine, ordinatione vel transactione impetrarunt exemptionem, non exclusâ præventione ordinariorum, qui concurrentem habent Jurisdictionem, magistratum.

### §. XXXIX.

*Provinci-  
cialibus.*

Paulo aliter se res habet cum Judiciis provincialibus. Etsi enim Cæsares diutius in restituendam pacem publicam operas defixerint & finito, quod vulgo statuitur, interregno, iudices instruxerint, ut contra facinorosos animadverterent causasque civiles & pacis publicæ turbatæ definirent; ad sopiendas controversias ac Pacem Imperii servandam Principes germaniæ in suis provinciis iudicem nomine Imperatoris



toris sæpius delegerint. **DATTIUS L.**  
*l. de P. P. c. 28 n. 26.* **OLDENBURGER**  
*Lymn. enucleat. Lib. IV. c. 54* Verum  
vi potentatus Territorialis, stabilita ac  
in Comitibus satis firmata pace Imperii,  
illa judicia ex sola potestate Principum  
pependerunt, ut hodieque de hac Prin-  
cipum Judiciarii Juris causa testentur  
in territoriis illorum judicia Provinci-  
alia atque Aulica. Quamvis enim *il-*  
*lustris* **SECKENDORFFIUS** putaverit,  
horum judiciorum originem, solam  
fuisse jactantiam atque ambitionem  
Nobilium, qui noluerunt esse civibus  
deterioris conditionis, qui duabus u-  
tuntur instantiis in causis ac contro-  
versiis; ex vetustiori tamen ac figuræ  
processualis illius nescia ætate ortus il-  
lorum indubie debet repeti & accer-  
si. Præcipue cum instituta primum  
fuerint atque directa potius ad tutelam  
publicæ Pacis, quam uti nunc quidem,  
ad forensium causarum decisionem.  
**LERCH Grundsätze II. n. 11. f. 40.**  
Et hæc quidem de judiciis in provin-  
ciis mediatis Principum Territoria-  
lium.



## §. L.

*Immedi-  
tis.*

In terris immediatis Cæsari fuerunt iudicia provincialia, **Kayserliche Landgerichte** / quorum tamen illa, quæ hodieque in Franconia veniunt sub nomine *Judicii Burgraviatus Noribergensis & Herbipolensis*, in Principum cesserunt potestatem. Et in illo quidem etiam nunc Marchiones Præsidem ex ordine Nobilium constituunt, Jurisdictione tamen inter Burgraviatus terminos circumscripta. PACHEL. à GEHAG *de Jud. Burgr. Nor. p. 3.* MULLERUS **Reichstags Theatr. p. III. c. XI.** Quoad hoc, patet ex ordinatione, quam novissime BURGEMEISTERUS, strenuus Jurium Nobilitatis immediatæ Assertor ac Coryphæus, *primo Tomo collectionis corporis Juris sui* inseruit, quod ab Episcopo demum pateat provocatio ad Cameram. GYLMANNUS *T. I. p. 322. T. IV. Symphor. c. 8 illustr. Dn. ZECH Europ. Herold P. I. p. 683.* Frustra tamen agunt, qui *ex Ducali titulo Episcopi Herbipolitani* ad Franconiæ Ducatum instituunt finguntque consecutionem, cum adsint alia exem-

exem-



exempla, ex quibus liquet, quod schema illud saltem insinuet atque indiget Secularem in terris Episcopatus Jurisdictionem ejusdemque exercitium. In *Svevia* antiquum fuit iudicium **auf der Leutkircher Heyde in der Gerspurs** / quod tamen hodie vix est cujusdam autoritatis. **HORNIUS** *Jur. Publ. prud. c. 55. §. 5.* Taceo ejusdem conditionis minora alia Judicia, cum aliud supersit, iudicium nimirum *Provinciale Svevicum*, cujus Jurisdictio ambit limites ad Danubium & obtinet in pago *Weingartensi* tribusque civitatibus Imperialibus *Ravensburg, Wangen & Isney*. Inferius tamen est *Rothwilensi*, & valet provocatio ad Imperii Cameram ac aulicum Cæsaris Senatum. Quamvis frequens fuerit inter Austriacos ac assessores camerales de hac contentio. Vide **Kayserl. Landger. Ordnung P. 3. Tit. 12. in pr.** **JO. FR. BALTHASARUM** *de Judiciis S. R. I. memb. 7. n. 7.* &, qui de moderna praxi testatur, **ANDR. CHRIST. SCHNEIDERUM** *process. jud. Prov. Sæv. class. 3. tit. 4. n. 36. p. 380.* Nec defuerunt ordinum gravami-



vamina de extingvendis Imperii provincialibus judiciis. Reputaverunt enim hæc nunc superflua & otiosa, cum litigantibus nullo non tempore pateat appellatio. Tum, quod tot instantiarum impensis adversa pars divexaretur ludereturque de illius corio. Verum non dedit hoc Austriaca domus auctoritati ordinum Sveviæ Franconiæque. Cum Austriæ Archiduces *Sveviæ Landvogtiam* pignoris loco habeant possideantque titulo oneroso. Nec Juri conveniat, auferre alicui invito jus suum quæsitum & radicatum. Aliud Judicium patuit *Spirgovia*, aliud iterum fuit *Mauerstettense & Weissenbornicum*. GEO. FABRICIUS *Orig. Saxon. L. 6. p. 618.* Quibus succedit *Judicium provinciale Thuringiæ Mittelshusanum*, coram quo *Fridericus Admorsus & Erfurtenses* jura quidem prosequi maluerunt, ut alia Judicia à PAULINO *in Annal. Isenacens. p. 106.* relata taceam. Idque vel ideo, cum ex *Legenda Bonifacianâ relationem Paulini* falsitatis accusaverit conviceritque TENTZELIUS *in Supplementis Historiæ Gotbanæ p. 343.* De judicio Hen-



*Hennebergico*, *Wafungæ Comitibus* ab Imperatore in feudum concessio, testis est *SPANGENBERG Chron Henneb. L. 4. C. V. p. 180. In Judicio provinciali ac advocatia Hagenoviensi* Jurisdictio decem Civitates *Alsatiæ Imperiales præcipue complexa est. HERTZOG Cron. Elsass. L. 9. c. 3. OBRECHTUS prodrom. rerum alsat. C. 5. quo egit de Alsatiæ Landgraviatu. Nec omittenda est memoria Judiciorum Austriacorum Imperialiumque Nellenburgici, Ranckuilani, Frauenfeldensis, Altorfensis & si quæ sint alia generis ejusdem. GEO. SCHLEE in relat. histor. p. 9. KIFFERUS in Quæst. Jud. Austriac. 42. n. 218. qu. 29. p. 162. Tot judiciis Cæsares Sueviam & Franconiam instruxerunt, ut Comitum numerum contraherent forte & minuerent. A vero nec esse videtur alienum, quod, Comitibus depulsis, Cæsares Sævici hæc subalterna judicia, tanquam *Suevia Duces*, instituerint in provinciis earumque limitibus. GIOVANNI *Germ. Princ. L. I. c. 2. p. p. 257, 334. 309.**



## §. LI.

De aliis  
Judiciis,  
& veris  
fontibus  
corruptæ  
Jurispru-  
dentia in  
Sec. XIII.  
& XIV.

Non est ut nunc de *Judicii Westphalici* Ortu, significatu, progressu, abusu & inde enatis gravaminibus ac reformationibus differamus; non est, ut de variis *Judiciorum Criminalium & Civilium* consuetudinibus veterumque *Jurium germanorum* in his seculis nominibus videamus; otium fecerint **SCHOTTELIUS** in *peculiari de Fabricis vetustis germanorum opusculo & Excell. Dn. STRUVIUS* in *Historia Juris Germanici & Criminalis* p. 512. sq. 774. sq. 798. sq. Patet, puto, luculenter, quod tot auctus *Jurisprudentiæ & Judiciorum germaniæ* non sint fontes & primordia corruptæ *Jurisprudentiæ*, utpote quæ nihilominus domestica mansit & una. Optandum fuisset, ut in his *Consuetudinibus & Judiciis* *Jurisprudentia germanica* substitisset, nec *Cives Patriæ* mores subito cæpissent fastidire, cursuque præcipiti ruere in omnia deteriora. **ENGELBRECHT** de *fatis Jurisprud. & Justitiæ administrationis* p. 13. 17. *Epocha* 3. & 6. **MEYERUS**. *diss. de Conflictu statut.* p. 8. §. 8. Ut verum itaque,  
&



& quod res est, demum fateamur, pendet Origo corruptæ Jurisprudentiæ ex seculo XIII. & XIV. Sed causæ & occasiones quærendæ sunt in receptione & abusu Juris Canonici & Romani, & utriusque Juris cum patrio Jure & moribus commixtione. Noluerunt Germani in suis solis Legibus acquiescere, multiplici conatu nunc viam sibi pararunt ad multiplicem Juris multiplicis confusionem & Processus forensis prolixitatem.

## §. LII.

Res ita, docente historia, cohæret. Pugnaverant mordicus invicem factio pontificia seu guelfica, & factio Cæsarea seu gibellina. Prima Pontificis autoritatem & Juris Canonici prætentam æquitatem versus orbem omnem protulit. Altera Cæsaris & Juris Romani dignitatem mascule opposuit ausui & imposturis Pontificum, quorum prima sapientia est fefellisse. Vicit vero Papa & quod virtus non potuit, potuit prætensa sanctitas & pietatis species Juris Canonici. Hoc enim primum à Jctis in gremium Reipublicæ, fori & Ecclesiæ receptum est, si-

Summa  
Historia  
Originis  
corruptæ  
Justitiæ.



mulque prima matrix est litium prolixarum & processus cavillatorii. Ratio est, quia ex decretalium libris in Germaniam nunc introducta sunt impedimenta celeris Justitiæ multiplicis generis, uti non diffeffus est ipse pontificius LANCELLOTTUS in *Institutionibus Juris Canonici*. Processus inquisitorius criminalis hucusque fuerat inauditus, judicia petitoria, possessoria, ordinaria, summaria fuerant incognita; In libellis hætenus & in scriptis Jura nunquam Nostrates exposuerant; Litis contestationes, dilatorias exceptiones & peremptorias, appellationes & innumeras protelandi processus rationes & modus nesciverant, una cum tot glossis & glossatoribus Juris pontificii, quorum Coriphæus fuit *Præpositus Halberstadensis* JO. SEMECA.

## §. LIII.

*Et Corrupta Juris-prudentia*

Quod nunquam putaverat principio factio Gibellinorum, Papa cum Cæsare communem causam astute fecit, idque obtinuit à *Friderico II. & Rudolpho Habsburgico*, ut seculo decimo tertio in Comitibus Moguntinis diserte reciperetur Jus Canonicum in usum



sum forensem germanorum publicum, quem ignoraverant hucusque Cives, solo *Decreti* usu dogmatico & privato contenti. Fuisse hoc docuit BOEHMERUS in *dissertatione de Praxi Juris Canonici in Terris protestantium & Libro I Usus Moderni Juris Canonici*. Ipsum Comitiale Decretum exhibuit GOLDASTUS in *Constit. Imperii* P. 2. §. 17. Ratio hujus receptionis residet in Papo Cæsaria, & Papatu politico, cujus utriusque & Cæsar & Pontifex fuerunt quam studiosissimi. At vero, quod cardo preturbatæ Jurisprudentiæ est, satis non fuit tora & Ecclesias Germanorum Juris Pontificii Canonibus expugnasse; Juris Romani præsidia in auxilium vocata sunt, inque usum pædagogium deducta, Themide Patriæ morum prorsus invita, sed non refragante Cæsare, cui dominium mundi & monarchia in Codice & Pandectis, si Diis Germanorum placet, tribuitur. Non quidem ausus nunc est Imperator, *publica* Lege comitiali introducere *Jus Romanum* in curias & judicia; verum non defuit occasio, Jurisprudentiæ Germanicæ quidem existialis,



tialis, sed Juri Romano adeo fausta, ut in Scholis Literatorum & foris obtinuerit *singularem dignitatem & usum plebeje originis & auctoritatis private*,  
**SEX TUPlici** ex ratione. *Prima* ratio est, quod germani, qui Literis se mancipaverant, propter famam Academiarum Italiae, juris responsa non solum mercati sint ab Italis, verum etiam semet contulerint in Provincias *Parisienses, Bononienses & Paduanas*, ut in Cathedris *Jctorum* ibi ex Ore **AZONIS, BARTOLI & BALDI** Jurisprudentiam exciperent, à gloria Romanorum tantopere decantatam. Allexit Cives nostros & Juris studiosos **FRIDERICI** *Constitutio*, qua scholares multis beneficiis & stupendis privilegiis mactat, demulcet & ab oneribus omnibus excipit, ut incommoda & tot sumtus itinerum & domicilii, quo germani fruebantur apud Italos, quocunque modo compensarentur. Genuina ratio fuit; ut aput Italos non solum collapsam Ipsius in Italia auctoritatem restauraret; verum etiam in scholis Italiae Germaniae Literatos ingenti numero pertraheret, eorumque  
 ani-



animos componeret ad nutum Interpretum & glossatorum, qui ex Jure romano universale dominium Imperatoris fidenter adstruunt &, quæ sunt Jura Principum Germaniæ territorialia, referunt ad reservata Cæsarea. Ex voto res cessit. Cum impetu non solum plebei homines germanici, sed Principum etiam Filii confluxerunt in Italiam. Numerus studiosorum in innumerabilitatem excrevit, ut demum nationes germanorum peculiare Collegium constituerint. MIDDENDORPIUS *de Academiis* L. 4 p. II.

§. LIV.

Comitatur hanc primam rationem *altera*, quæ huc redit, quod germani ex Italia in patriam reduces, Juris Romani placita deduxerint in usum doctrinalem. Ne enim viderentur, itinera Academica frustra explevisse, & FridERICI proemiis indignos exstitisse, toti in eo fuerunt, ut, quod audiverant ab Italis, in succum & sanguinem converterent apud Germanos & Cives suos, qui hucusque in moribus & Legibus domesticis acquieverant. Non defuit illis occasio, juris romani notitiâ superbire, &

*Continuatio argumenti.*



& vel propter Itinera sibi vindicare præ Civibus Juris R. ignaris prærogativam. Admoti enim sunt ad officia curialia in Judiciis, quorum Præsides & assessores hucusque fuerant *Scabini*, Viri morum periti & ordinis judiciarii germanorum gnari, muti vero & perterriti, quoties novelli Collegæ Leges romanas recitarunt, ut moniales latinum Psalterium. Quicquid sit, gloria prætenfa, ambitio & præsumptio majoris eruditionis *Romanizantibus* palmam obtulit; *Scabini* ruditatis alicujus accusati sunt, ut demum fere in bello adversus romanas Leges succubuerint, & tantum non prorsus eliminati sint judiciis & Dicasteriis, prouti exemplis comprobatur THOMASIVS *in Notis ad Testamentum MELCHIORIS OSSII*. Tertia ratio repetenda est ex seculo *decimo quarto* ab *Academiis in ipsa germania nunc institutis*. Putas forte, nunc rem rediisse ad pristinam integritatem, cum germani in Patriis scholis cœperint erudiri; verum non est, ut lautio rem fortunam fingas. Juris Romani periti plerumque obtinuerunt spartas Academicas, & si consulueris *Caroli quarti*



*ti imperium, facile reperies, è re fuisse ipsius, ut Viennæ, Pragæ Colonia, Heidelbergæ, Erfurti, Ingolstadii & alibi in Academiis Jurisprudentia doceretur à Bartolistis, qui Jus publicum Imperii Germanici exponunt ex tribus libris ultimis Codicis & ex Pandectis, quæ absolutum dominum, non limitatum, Cæsari Romanorum vindicant. Quarta ratio residet in Honoribus aulicis, à Principibus Juris Romani peritis Germanis non solum exhibitis, sed, quod magis est, in ipsos Italos collatis. Dux Pomeraniæ Bogislaus X. RAVENNATES, Patrem & Filium, Italia evocavit; Ludovicus Bavarus UDALRICUM in curiam accersivit; Carolus IV. BARTOLUM Equitem creavit; Sigismundus GEORGIO FISCELLO honores tribuit. Mirum ideo non est, Jctos non solum in causis Juris privati, sed præcipue in causis Juris publici & Principum Imperii provocare cæpisse ad Jura Romana, imprimis cum supra dixerim, ipsos Principes Filios suos erudiendos ablegasse ad scholas Italorum. Exempla alibi copiose sunt adducta quibus accedit, quod Jcti nunc veriti non sint,*



sint, statuta germanica & Leges ipsas Imperii fundamentales interpolare formulis & argumentis Juris Romani. *Quinta* ratio habetur *in creatione & dignitate Doctorum Utriusque Juris Civilis & Canonici*. Tantus enim honor, qui cum Nobilitatis splendore contendit, egregie protulit autoritatem Juris Romani & dignitatem Doctorum. *Sexta* denique accedit ratio, quæ mere est *Cæsarea*. Cæsares enim publico Monito Principes Imperii adhortati sunt, ut instituerent in Provinciis singulis Academies. Secuti sunt Principes omnes fere mox seculo decimo sexto hoc consilium, quod tamen eo tendit, ut & juris R. & Cæsaris autoritas cresceret, Principum vero Jura & Privatorum mores decreverent pedetentim. GOLDASTUS *P. II. Const. Imper. p. 95.*

## LV.

*Plena ejus  
dem expo-  
sitio.*

Qui penitus hæc summam dicta scrutabitur, facile nunc assertionem de Jurisprudentiæ corruptæ & perturbatæ Origine, fide historica explicabit. Juris *Canonici* auctoritas moribus & æquitati hætenus receptæ bellum indixerat;



dixerat ; *Juris Romani* usus per itinera ad *Academias Italiae* erat excitatus ; per *præmia Friderici II.* promotus , per *Doctores* in usum deductus ; per *institutas* in ipsa *Germania* *Academias & Professiones* utriusque *Juris Canonici & Romani* corroboratus ; per *Promotiones Italorum* in *Aulis Principum* confirmatus ; in *Doctorum Creationibus & Elogiis* stabilitus , & *Cesarum* denique ac *Principum Cura & Autoritate* in *Germaniæ Cathedris* consummatus. Utriusque nunc *Juris* Valor pugnavit cum jure domestico ; nunc *Canonistæ*, nunc *Legistæ* invicem digladiati sunt , nunc *glossas*, nunc *opiniones*, nunc *responsa & Interpretes* provocarunt , idque præcipue egerunt , ut *jura avita domestica & procedendi simplicem rationem* depellerent , vel certe diversissima *Jura* invicem confunderent. Equidem *Scabini* morum fuerint tenaces & observantissimi ; verum vicit *Gratianus & Justinianus*, & utinam *Doctores*, *Glossatores*, *Interpretes*, non simul exstitissent *Dictatores* in *Repubblica germanorum*. Neglectis moribus & veteris *processus* limitibus , nunc con-

con-



controversiæ in infinitū sunt protractæ, recepta sunt fatua multa fatalia, receptæ sunt dilaciones, instantiæ, in integrum restitutiones, appellationes, &, quod ex antecedenti Paragrapho facile poteris divinare, *ad Academias & Collegia Acta judicialia sunt transmissa, ut à Legum Doctoribus, qui nunc videbantur Literatorum Principes, scriberetur sententia oraculina. Ita actum erat de Justitiæ celeritate; actum perinde fuit de Jurisprudentiæ integritate. Ex mixtura enim triplicis Juris & tot Interpretum Opinionum cumulis orta est Jurisprudentia incerta, proluxa, tædiosa, difficilis, theoretica, otiosa. Non fontes secuti sunt & rationes Legum sed verba recitarunt, in Glossatorum & Interpretum opinionibus & controversiis lauream quæsierunt, & hinc Jurisprudentiam macularunt opinionibus diversis, præjudiciis, Jurium & Actorum collisionibus, observantiis, decisionibus, discriminibus inter theoriam & praxin, & innumeris disputationum pugnis, doctrinarum divortiis, Juris analogici fictionibus,*  
bro-



brocardicis, distinctionibus, conciliationibus, ampliationibus, supplementis, limitationibus, sublimitationibus, ex quibus omnibus non potuit non nasci *Juris incertitudo, prolixitas, difficultas, varietas, confusio, litiumque & justitiae protractio* & utrinque ingens corruptio. Crevit illa in dies, & licet *Fridericus III. & Sigismundus* Cordatorum querelis commovererentur, ut *seculo decimo quinto* peculiari constitutione tot Jurisprudentiæ corruptelis, præcipue vero, uti verba se habent, ausui *Doctorum Juris Romani & Canonici, in Academiis quadrato cum rotundis, sydera cum planetis, Romana, Canonica & Germanica* invicem commiscientium, obicem ponerent, & intra oleas reducerent; nullum tamen comitem & effectum hoc secum duxit institutum, quod *GOLDASTUS* fusius descripsit in *Volumine Constitutionum Imperialium*. Seculo decimo quinto versus finem ruente, *Maximiliano curante*, ipsum *Jus Romanum* nunc publice receptum est in Comitibus *Wormatiensibus*, & introductum in

K

Came-



*Camerali Imperialis Tribunal.* Secuti sunt sequenti ævo Principes Imperii ejusdem vestigium, & *Juri Romano* in *Dicasteriis* publica autoritate indulserunt usum, quem suomet arbitrio hactenus urserant Privati, morum & Ordinis Judicarii Germanorum negligentes. Docuit hoc ex instituto JO. KULPISIUS in *Dissertatione de Legum Veterum Germanicarum & Juris Romani in Republica nostra origine & autoritate præsentis*, cui, si quid opponere potuissent Leguleji Historiæ ignari, certe opposuissent diutius, ut à demolitione liberarent templum Dianæ. Vela hic contraho, rerum enim gnarus nunc facile intelliget, an nostra ætate evanuerint *recitata corruptelæ Jurisprudentiæ & Justitiæ? An Incertitudo, Prolixitas, Difficultas & Litium Protractiones EX ABUSU JURIORUM PEREGRINORUM ET TOTUPLICIUM JURIORUM SEPERANDORUM COLLISIONE ET CONFUSIONE oriundæ* decreverint? quod sua quidem ætate B. LUTHERUS multoties optaverat, sed non impe-

tra-



travit, cum Juris Canonici Doctores ipsius voto obstiterint, manuque, pede, ore & scriptis pugnaverint adversus odium Lutheri in *Jus Pontificium*, quod Vulcano dederat, cum protractionis processuum & justitiæ extiterit primus fomes. Legi merentur, ut veritas pelluceat, GOEDENIUS, *Jctus Witebergensis*, *Cons. VIII.* n. 11. seq. *Cons. LIV.* n. EBERH. à WEIHE in *Orat. an Jus Canonicum merito in Scholis doceatur?* p. 3. seq. Ill. Dn. THOMASIIUS in *Cautelis circa præcognita Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ c. 21.* seq. & MASTRICHTIUS in *Historia Juris Ecclesiastici*. Nostro ævo an nobis liceat esse felicioribus, judicent Doctores cordati, Advocati, Judices, Partes & Cives, qui etiam nunc mortales inter immortalitatem processuum, inter Justitiæ ambiguitatem & Jurisprudentiæ incertitudinem colluctantur cum opinionibus communibus, theoriæ & praxeos differentiis, Collegiorum diffidiis, rerum judicatarum divortiiis, Legum explicandarum & applicandarum collisionibus infinitis.



## §. LVI.

*Et de Me-  
dela cor-  
ruptæ Ju-  
ris pru-  
dentia  
Consulta-  
tio.*

Singula prolixius firmarem ra-  
tionibus & exemplis, nisi ex historia-  
rum præfidiis & foris de ipsa hac cor-  
ruptæ Jurisprudentiæ & iustitiæ Origi-  
ne & Historia dixissem sufficienti or-  
dine *in commentatione de Distincta  
Practica Docendi ratione in Jure Ro-  
mano & Germanico §. 6. -- 21.* Re-  
stat, ut *de perturbata Jurisprudentiæ  
medela* dicam, quid sentiam, Summam  
Corruptelarum, omnes fatentur,  
consistere *in Jurium incertitudine &  
Litium prolixitate.* Fatebantur item  
historiæ gnari, utrumque malum ori-  
ginem suam cæpisse *ex collisione, abu-  
su & confusione Juris Canonici &  
Romani cum Legibus & consuetudini-  
bus domesticis.* Fatebantur, origi-  
nem hujus corruptionis non dandam  
esse Legislatoribus, *sed Academicis &  
Doctoribus,* qui sputum papale linxe-  
runt *& glossis utriusque Juris, non  
fontibus limpidis, arua Jurisprudentiæ  
irrigarunt.* Verbo: *Jurisprudencia in  
foris Germaniæ* vitiata est primo *com-  
mixtione diversorum Jurium;* deinde  
juri-



jurium expnendorum & applicandorum incertitudine; tertio abusu Jurium, peregrinorum & Interpretum opinionibus: quarto, proluxa Justitiæ administratione & protractione. Singula vero mala ex *Academiis* transierunt in *Tribunalia*, & , si calculos recte subduxeris, Juris incertitudo & proluxitas Legum, Canonum, morumque *mixtura* orta est *cum ipsis Academiis*. Si hæc ita sint, sponte consequitur, quod consulto iterum ex adverso in *Academiis* parari debeat medela corruptæ jurisprudentiæ. Sponte fluit, quod hæc medela consistat in contrario remedio ad malum eliminandum idoneo, hoc est, in *distincta Juris Romani & Germanici tractatione*, cum *confusa* diversorum Jurium *commixtio* & Incertitudini Jurium, & quæ hanc comitatur, tædiosæ Administrationi Justitiæ primam dejerit occasionem. Emendatio Jurisprudentiæ imitatur medicinam. Hæc vero frustra anea est, nisi causa, sede & radicibus mali cognitis, Medicus sese accinxerit demum ad extirpandum malum. Age itaque



que & quid sit juris romani, quid germanici, quid praxeos genuinæ, quid juris recepti & originarii curate distingue, non uni plus, alteri minus, sed suum cuique tribue, jura germanica curate volve, non supprime, jura recepta applica, sed *deficientibus moribus & cum ratione & accurratione ad indolem Reipublicæ germanicæ*; reduc Jurisprudentiam ad fontes, ad historiam, ad indolem Reipublicæ, ad primas rationes & usum genuinum; vagas opinionum, observantiarum & Interpretum myriades jube esse extorres prorsus & exules in Cathedris & Curis. Si hoc factum fuerit, tum redi ad Cathedras & fora, & tua experientiâ intellige, quam expedita nunc omnia sint in Musæis & Judiciis, quæ alias tot dissensuum, tot Judicantium & Commentatorum, qui rivulos sequuntur & fontes derelinquunt, cumulis & syrribus sunt irretita.

Moni-  
tum &  
argumen-  
ti explica-  
tio.

§. LVIII.

*Dogmaticum* fateor hoc est *remedium*, sed dic quæso, utrumne adhibeatur



atur consulto ? *Dogmatico* vitio jura sunt conturbata ; *dogmatica* ratione illa in integrum poterunt restitui , quin debent restaurari , cum , quod consultius fit in reformanda Jurisprudencia remedium , nesciveris , certe nondum videris adhibitum. Fateor , & dabo facile ENGELBRECHTIO *Schediasm. de Causis imped. administrat. Justitie* p. 39 commixtionem Jurium & confusiones Interpretum sæpiuscule in ipsis Principum Germaniæ Legibus , contrariis constitutionibus nondum abrogatis , accepisse robur. Fateor *legislatoriam* Potestatem & *Pru- dentiam* consultissimam esse medelam in reformanda Jurisprudencia & Justitia ; verum nihil hæc obstant , quominus uti eousque liceat *interimistica medela* , quousque authentica & legislativa nondum sortita est suum progressum , cujus difficultates meditatus est inter plures *illustris Dn. GUNDLINGIUS* in *Prefatione ad Digesta*. Quicquid sit , publicæ Leges , si maculatæ sint Interpretum commentis , Leges non sunt , sed opiniones , quarum valor esse nequit authenticus , si con-



stiterit de illarum falsitate, ejusque oc-  
 casione & causa. Sed non est, ut hic  
 dubius existam. Redit huc scopus,  
 ut universim Jurium *confusioni* mede-  
 deri annitamur *distincta Jurium R. &  
 G. eaque solidiori & rationabili expo-  
 sitione & applicatione ad usum & pra-  
 xin curatissima.* Disservi in hunc finem  
 in peculiari opella *de Juris R. indole &  
 diversa obligandi ratione in foris apud  
 Romanos & Germanos.* Qui hæc in-  
 vicem cum rationibus & historia con-  
 tulerit, ultro *medelam exhibitam* ha-  
 bebit idoneam ad extirpandas, quæ in  
 Academiis ortæ sunt, corruptelas Ju-  
 risprudentiæ incertæ & perplexæ, cer-  
 te ad minuenda incommoda, ad præca-  
 venda graaviora mala & reducendam  
 Jurisprudentiam R. & G. *in Ordinem &  
 Integritatem.* Interest Reipublicæ, ne  
 mala ingravescant; interest & *Acade-  
 micorum* & officii illorum est, *dogma-  
 tica cura* Jurisprudentiam repurgare à  
 tædiosa confusione, ut loco justitiæ in-  
 certæ, in Tribunalia ex Academiis  
 transeat prompta & fida Justitiæ admi-  
 nistratio. Ulterius hæc dicta sunt in  
 citata



citata de *Distincta Practica docendi Ratione commentatiuncula*, cui insigne robur accedet, si perlegeris *ill. Dn. THOMASII Praefationem ad Notas in Institutiones*, ubi differuit de *Cautelis circa emendationem Administrationis Justitiae adhibendis & de officio PROFESSORUM ACADEMICORUM ad eum finem obtinendum*. Multa, confiteor, de ipsa hac *Juris medela* addi possent momenta & praesidia; verum, puto, sufficient summam quædicta sunt in meditatione de *Distinctæ Juris R. & G. Tractationis origine, Ratione, Fructu & Medela in Corrupta Jurisprudencia*.

## §. LVIII.

Plura non addo. Licet enim operæ pretium videri posset, addere hic nonnullas rationes in gratiam illorum, qui *Historia & origine corruptæ Jurisprudentiæ* commoti, *Juri R. & Canonico* multo consi exilium precantur; nolo tanem nunc huic arenæ interesse, sed rebus hodie stantibus cavenda in scholis esse video duo extrema. ALTERUM

K 5

Roma-



Romanum non serio addiscendum esse. & jus Canonicum exiguum usum habere in foris Protestantium. Certe egregie fallunt, qui ita putant. Jus enim Canonicum, quod integris seculis ante jus Justinianæum in fora Germaniæ introductum est, in praxi & processu præ jure Justiniano, etiam post reformationem retinuit universalem fere prærogativam, quin apud Academicos tantæ fuit existimationis, ut *Ordinarii seu Directoris* nomen vel titulus inde ortus sit. Lectio enim *Juris Canonici* vocari consueverat *ordinaria*, & Primo semper antecessori competiit, non reliquis, inter quos ceteræ Jurisprudentiæ partes distribuebantur. Qui dubitaverit, legat FRID. GOTT. STRUVIUM in *Introd. ad Praxin Juris Canonici* p. 2. cas. 29. p. 259. & evolvat THOMASIUM in *Cautelis circa Præcogn. J. C. c. 21. 22. 23.* D. FLOERKIIUM in *schediasmate de prærogativa Juris Canonici præ Jure Justiniano.* ALTERUM hoc erit, ne dulci Fistula sibi canant & imaginentur, opus non esse examinare ulterius receptionem  
 utri-



utriusq; Juris, an ea & quousque conveniat principiis politicis, moralibus, indoli Reipublicæ, usui forensi, confessioni ecclesiarum nostrarum? quousque pertingat & in dicendo Jure in Germaniæ & Protestantium Tribunalibus vim exferat suam, vel nullam, vel subsidiariam & receptam imperante ratione & usu? Non de hoc argumento solum & an *expediat*, *juri romano & Canonico dicam scribere & Legislatoria potestate Codicem Juris civilis forensis concinnare?* Verum & de remediis & consultationibus plurimum Doctorum aliis facile judicabit, qui sciverit Consilia eorumque rationes revocare ad cynosuram scientiæ consultatoriæ, Politicæ & Reipublicæ. Dabo ANNALES *Scriptorum de emendatione Jurisprudentiæ & Justitiæ*, non tamen hac opinione, ac si viderer mihi, in numero habuisse omnes & singulos. Nominabo, qui mihi ad manus sunt, quos alia occasione pleniori studio expositurus sum & dijudicaturus.

*Series*



## Series

Consiliorum, Remediorum &  
Scriptorum

DE EMENDANDA JURISPRUDENTIA  
ET JUSTITIA,

*Juxta Ordinem Annorum.*

\* \* \* \* \*

- A. 1555. I. **M**MELCHIOR OSSIUS, *Augusti  
Electoris Saxoniae Consiliarius,*  
*Politicum Testamentum,* quod de  
emendando processu agit & THO-  
MASII notis est illustratum.
1563. II. HERMANNUS CONRINGIUS *in  
Consilio de Abreviando Processu,* quod  
habetur in Tr. de O. J. G. c. 35. &  
*in Epist. p. 45.*
1572. III. Consultationes & Constitutiones  
Saxonicae Augusteae, quarum Inter-  
pretes sunt DAN. MOLLERUS &  
*Vir Illustris DN. BERGERUS. Vido  
praefationem ad Electa disceptationum  
forensium.*
1581. IV. NICOLAUS VIGELIUS *in consul-  
tatione de abbreviandis litibus §. 3.  
seq.*

V. PE-



- V. PETRUS FRIDERUS, natione 1593.  
*Mindanus*, HERM. ES. ROSACAR-  
BUS & THEOD. MATTH. BECK-  
MANNUS, *Jcti Westphali*, in *Consi-*  
*liis de emendatione Camere & diu-*  
*turnorum processuum.*
- VI. THOMAS CORMERIUS in *Co-* 1602.  
*dice Juris Civilis romani*, Regis gal-  
liæ Henrici IV. jussu evulgato, uti  
habent THUANUS *Hist. L. 125.* ME-  
ZERARI *abregé histor. T. 6, p.*  
*258.*
- VII. ANTONIUS FABER & JC. Ar- 1605,  
gentoratenfis GEO. OBRECHTUS, 1606.  
*in Consultationibus.*
- VIII. VENTURA de VALENTIIS, si- 1613.  
ve GEO. VAL. WINTHERUS *in*  
*Parthenio litigioso.*
- IX. OCTAVIUS PISANUS *in Lycurgo* 1616,  
*Italico.*
- X. *Ordinatio Rostochiensis de maturan-* 1618.  
*da justitia & promovenda ejusdem*  
*administratione in XVI. articulis ex-*  
*posita A. 1625. d. 13. Aprilis.*
- XI. FORSTERUS *in Notis Politicis* 1625.  
*ad Tacitum p. 144. 197.*

XII.



1633. XII. LAMPADIUS *in discursu de mor-  
bis & cura Camera.*
1640. XIII. *Acta publica sive deliberationes  
Principum circa emendandam ad-  
ministrationem Justitiæ in bello tri-  
cennali fere exulis, apud LONDOR-  
PIUM P. 6. L. 5. n. 102. PFANNE-  
RUM Hist. Westph. p. 196. & HEN-  
NINGESIUM ad P. W. p. 1270.*
1657. XIV. STEPH. NATHENIUS *de Ju-  
stitta vulnerata & curata.*
- XV. D. NICOLAI, Consilarii Meck-  
lenburgici, *Consilium de evitanda con-  
fusione Judiciorum sigillatim Sveri-  
no-Mecklenburgensium, Ducis Se-  
renissimi jussu a. 1657. exhibitum.*
- XVI. *Novæ constitutiones & decisio-  
nes Saxonicae apud MAURITIUM  
Introd. ad praxin for. p. 370.*
1660. XVII. BOECKLERUS *in vindiciis pro  
studiis civilibus & vera Jurispru-  
dentia.*
- XVIII. DN. WEDERKOPPIUS *de in-  
certitudine Juris & remediis adver-  
sus illam.*



XIX. ERN. FRID. SCHROETER *de* 1664.  
*remediis tollendi litium dunturuita-*  
*tem.*

XX. HERM. HOFFMANNUS, Con- 1666.  
filiarius Brandenburgicus, *in Scia-*  
*graphia processus Judiciarii & in*  
*Lycurgo Germanorum moribus in-*  
*formato.*

XXI. LEIBNITIUS & VERIDICUS si- 1668.  
ve JO. WOLF. ROSENFELD *de*  
*ratione corporis Juris reconcin-*  
*nandi.*

XXII. JO. FR. RHETIUS *de admi-* 1669.  
*niculis Justitiæ.* 1670.

XXIII. BERLICHIVS *in discursu de*  
*justitia pro tempore status hodi-*  
*erni.*

XXIV. JUSTUS NOMICUS *de Incer-* 1676.  
*titudine Juris tollenda.*

XXV. GOTFR. WARLIEB *de In-*  
*certitudine Juris & abbreviandis*  
*litibus.*

XXVI. DN. ERNSTI *de juris incer-*  
*titudine & medela.*

XXVII



1680. XXVII. HOLTERMANNUS Consiliarius Hassiacus, *de Nequitia Advocatorum varioque Juris abusu in Cancellariis, cum scriptis à FR. CLIENTE ipsi oppositis.*
- XXVIII. ZIEGLERUS *de arte rabulistica.*
1682. XXIX. KREBSIUS, Consiliarius Darmstadiensis, *de Nævis hodiernæ Jurisprudentiæ.*
- XXX. JO. GEO. von BORNE Cancellarius Brundenburgicus, *de Nævis & remediis emendandæ Jurisprudentiæ.*
- XXXI. PHIL. BURCHARDI in opusculo *de nævis & remediis hodiernæ Jurisprudentiæ, nuper problematibus Kestnerianis addito, p. 169.*
1684. XXXII. GERH. NOOD in Oratione *de causis corruptæ Jurisprudentiæ.*
- XXXIII. SIGISM. FREIBERG *de novo Codice Juris conscribendo.*
1686. XXXIV. CONSTANTINUS VERIDICUS, sive JO. WOLFG. ROSENFELD in epistola ad Justum Sincerrum *de hodierna advocacionis difficultate.*
- XXXV.



- XXXV. CHR. THOMASIVS *de nævis Jurisprudentiæ Romanæ, Justinianæ & Forensis germanicæ Libri II.* 1691.
- XXXVI. HENR. BODINUS *de abusu Juramentorum, fustigationis, estimationis & moderationis injuriam, de judice male procedente, de officio prætoris restaurando ad tollendum processum hodiernum.* 1694.
- XXXVII. JO. SAM. STYCKIUS *de interrogatoriis ineptis.* 1702.
- XXXVIII. JO. GEO. KRULL *Diss. de remediis litium diuturnitatis.*
- XXXIX. SAMUEL STRYCKIUS *de abbreviando processu per pœnam mendacii.* 1703.
- XXXX. ANDR. von MANDELSLOH *de postergata justitia.* 1705.
- XXXXI. HENR. COCCEJUS *de genuina praxi Juris, sive de eo quod dubium est in Jure.*
- XXXII. GEO. PAUL. HOENNIUS, Consiliarius Saxonicus, *in consilio de abbreviando processu cum censura* SAM. STRYCKII. 1708.



- XXXIII. CHR. WILDVOGELIUS  
*de precipuis impedimentis Justitiæ.*
1712. XXXIV. GEO. DOEHLERUS *JC-*  
*tus Isenacensis, in Meditationibus de*  
*emendatione administrationis Justi-*  
*tia.*
- XXXV. JO. SAM. STRICKIUS  
*in opusculo de Emendatione processus*  
*forensis.*
- XXXVI. GEO. ENGELBRECHT  
*de articulorum positionalium abusu*  
*rescindendo.*
- XXXVII. JAC. FRID. LUDOVICI  
*in Diss. de anticipatione in foro.*
1713. XXXVIII. JO. PETRUS LUDEWIGIUS  
*in oratione de emendanda Juris-*  
*prudencia.*
- XXXIX. CHR. WILDVOGELIUS  
*de citatone ad Processum non neces-*  
*saria.*
- L. Dn. TRIERUS in den Gedancken von  
 teutschen Justitz Wesen Cap. III.
- LI. Die Königliche Preussische allge-  
 meine Ordnung von Verbesserung  
 des Justiz - Wesen.
1714. LII. BERNHARDUS KLEPPERBEINIUS  
*in remediis abbreviandi processus.*
- LIII.



LIII. PRIOR de S. PETRO dans l, ar- 1716.  
bitre charitable pour eviter le pro-  
ces & les querells ou du moins pour  
les terminer promptement sans peines  
& sans fraix.

LIV. ULR. MARBACHIUS de veritate  
optima Judiciorum norma: EPHRA-  
IM GERHARDS Gedanken von den  
Schwierigkeiten der teutschen Rechts-  
Gelahrtheit und ihrer Lehr = Art.

LV. CHR. THOMASIUS in Triade disser- 1717.  
tationum, de emendatione administra-  
tionis Justitiæ neq; facili, neque impos-  
sibili, valde tamen difficili & caute su-  
scipienda: De emendandis quibusdam  
litium protractionibus in Materia  
Juramenti Parti à Parte in Judi-  
cio delati, hætenus receptis: De  
Chractere & circumspectione medici  
ad curandam Tædiositatem Processu-  
um adhibendi. Ultima germanico idi-  
omate prodiit in parte II. der Juri-  
stischen-Händeln p. 161.

LVI. Excellentissimus Dn. GRIBNERUS  
in Triga dissertationum de probatio-  
num quæ juris jurandi declinandi  
causa suscipiuntur ambagibus reciden-  
dis,



*dis, de observantiis Collegiorum, de Jure incerto ex dubia Legum autoritate oriundo.*

**LVII. CHR. WILDVOGELIUS** *de modo inverso in processu civili & Criminali evitando.*

**LVIII. D. GOEBELIUS & BARTENSTEINIUS** *in orationibus de causis corruptæ Jurisprudentiæ.*

**LIX. CHRISTOPH. JO. CONR. ENGELBRECHT,** *de causis impediti hactenus felicitis successus tentatæ in germania Emendationis Administrationis Justitiæ, ut &, de spuria distinctione inter Theoriam & praxin.*

**LX. HENR. ERN. KESTNERUS** *in prodromo Conclusionum ad reformandam Jurisprudentium, sive, in dissertationibus de defectibus Juris Communis in Republica Germanica.*

1718. **LXI. Celeberr. Jctus JO. PAUL. KRESSIUS** *in observationibus ad Processum Summorum Imperii Judiciorum, & meditatione de observantiis equitati repugnantibus circa processum denunciationis.*

**LXII.**



- LXII. Dn. J. E. R. *ad virum Amplissimum A. L. O. de Litium Ambagibus in foro saxonico recidendis* dissertatio Epistolica, quam D. JO. CHR. FRANKIUS Excellentissimi Dni GRIBNERI principiis processus Judiciarii p. 283. - 312. addidit. 1719.
- LXIII. AUG. LEYSERUS & GOTLOB WOHLGEMUHT ROTHIVS *de superstitione juridica in foro & extra forum obvia.* 1720.
- LXIV. CHR. THOMASIVS in Parte II. der Juristischen-Händel *Casu I. qui complectitur ein unvorgreifliches bedencken über den gegenwärtigen Zustand des Justiz-Wesen und dessen künftigen Verbesserung / quod in rubro JO. REINHOLDI de PATKULS elogio insignitur. Tum & Casu IV. p. 138. ubi exhibuit ein bedenkē über einen neuen Versuch die Langwierigkeit der Prozesse zu heben.*
- LXV. CHR. THOMASIVS *in dissertationibus de protractione litis per allegationes Legum & Doctorum in processu Advocatis permissas:*



*De protractione Justitiæ per amicabilem Compositionem partium litigantium à Judice tentandam.* Scripta, quæ Hamburgi novissime adversus citatas dissertationes & Casus Juridicos Mixtos Thomasi edita sunt, sine pipere sunt, *sine sale*, non lectione, sed sputo digna, non secus ac alia, quæ non scripsit, sed vomuit *Saltzmannus* quidam, cujus adversus Thomasium polemica scripta bruta sunt & homine ratione prædito prorsus indigna. Ipsi Dni Collectores *der unschuldigen Nachrichten* non possunt, quin tacite naveleent *Saltzmanni* scommata & Cavillas, ideoque homo iste non invenit, quod forte quæsit, certe quod expectavit. Pauca regessit *Ipse Dn. THOMASIVS* in den Anhang zu den Gemischten-Händeln p. 108. sq. & in præfatione P. II. *der Gemischten-Händel.*

1721. LXVI. JOHANNES *de* GROENING  
*in Dissertatione epistolica & consilio*  
*de emendandis Nevis Juris R. &*  
*forensis veris & putativis, nec non*  
*Viti-*



*Vitiis Processus, Judicis & advocatorum: In Consilio de studio Juris recte instituendo, ut & in Novis Institutis processus Civilis ordinarii & summarii, seu de praxi novissima fori civilis germanici, in primis Judicii Aulici, Cameralis, Wismariensis & Saxonici Libris tribus. Recensuit ipse hæc scripta in Museo Juris & solidioris Literaturæ P. I. ubi etiam p. 38. promisit Notas Critico forenses in Jus Lubecense ejusque usum & abusum. Addidit p. 56. Novam methodum emendandi mores & studia orbis Christiani, nec non Decadem problematum Emendantium, quorum ultima agunt de Corpore Juris Romani emendando: De abbreviandis Litibus: De Legibus usurariis abrogandis. Spem quoque fecit Speciali scripto critico de Legibus reficiendis filum dissertationis de nævis Juris Romani pertexere, & curatius dispicere cum de remedio Leibnitiano de veteri jure abolendo & reconcinnando vel novo Codice conficiendo; tum de consilio Wesen-*



*becii*, qui opere *Basilikōv*, quod centum mille Thaleros aestimavit, rem conficiendam esse censuit.

LXVII. HENR. ERN. KESTNERUS *discursu de principiis Jurisprudentiæ modernæ in paucula capita redigendis.*

LXVIII. *Schediasma Epistolare de defectibus & prærogativis Jurisprudentiæ privatæ & publicæ in Academiis.*

1722. LXIX. WILHELMUS FRANKENBERGIUS *in Schlen-driano celebri Præticorum Magistro.*

1723. LXX. TOBIAS BARTHIUS *de Incertitudine Juris inprimis Saxonicæ, ut & in Centuriis dissensuum in Praxi & præmissa præfatione.*

LXXI. CHR. THOMASIVS P. I. *der vernünftigen Gedancken über allerhand Gemischte Philosophische und Juristische Händel Casu VII.*



---

VIII. de Emendanda Justitia p.  
218. - 344.

LXXII. POLYCARPUS LEYSE-  
RUS *de eo quod justum est circa  
Jurisprudenciam emendandam.*

LXXIII. JO. WOLFG TRIERUS 1724.  
*Oratione de Oeconomia Juris &  
difficultate inveniendæ proportio-  
nis inter Jura concurrentia.*

LXXIV. JO. CHRIST. BENEMAN- 1725.  
NUS, *Consiliarius Justitiæ Dres-  
densis excellentissimus, in idem un-  
vorgreiflichen Gedancken über die  
von Herrn Christ. Thomasio ge-  
haltene disputation von Verzöger-  
ung der Justitz durch richterlichen  
Versuch der Güte / und vorläufiger  
Untersuchung einiger / die Ver-  
besserung des Justiz - Wesens betref-  
fenden, Thomasischen Meinungen.  
Dubialpsius cum cura proposita non-  
dum respondit illustris THOMA-  
SIUS, silentii vero causas exponere  
voluit in fine des Anhangs zu den  
Gemischten - Handeln / de quibus alibi*

L 5

LXXV.



LXXV. *Meditatio academica de distincta practica docendi Ratione in Jure Romano & Germanico.*

1726.

LXXVI. GALLI *cujusdam libellus de abbreviandis & terminandis citissime processuum ambagibus. Meminerunt hujus Autoris Nova Literaria Lipsiensia anni præsentissimi.*

LXXVII. *Meditatio de distinctæ Juris R. & G. Tractationis origine, Ratione, Fructu & Medela in Corrupta Jurisprudencia.*

LXXVIII. *Prolusio Academica de Jurisprudencia & Justitiæ corruptelis earumque Origine & Emendatione.*

LXXIV. Prüfung der Gründe womit sich der Herr THOMASIVS, gegen den Auctorem des Tractats: Unmaßgebliche Gedanken über die Thomasische Dissertation von Verzögerung der Justitz durch den richterlichen Versuch der Güte etc. zu defendiren gesucht. Est hoc scriptum, apologeticum pro causa BENEMANNIANA adversus repositiones THOMASIANAS in fine des Anhangs zu den Gemischten = Händeln.

Con-



*Consilium & Responsum*

**D. DANIELIS NICOLAI,**

*Sacrae Regiae Majestatis Svecicae Cancellarii, & Serenissimi Ducis Megapolitani Adolphi Friderici Consiliarii,*

de

**Præcavenda Confusione Judiciorum Mecklenburgensium.**



A. D. BARRETT, M.D.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
CHICAGO, ILL.  
1901





Politisches Gutachten wie die Verwirrungen Mecklenburgischer Raths Collegiorum zu vermeiden.

S. I.

Urchlauchtiger, Hochgebohrner Fürst Vorhaben und Herr. Gleich wie GOTT der und intention des Autoris, Allerhöchste alles in grosser Ordnung erschaffen, von seinen Creaturen auch annoch ein ordentlicher GOTT genennet wird; also müssen Regenten und Obrigkeiten als irrdische Götter, welchen GOTT das Regiment auff Erden anvertrauet, und von ihnen deswegen dermahleins schwere Rechenschafft fordern wird, Ihre Regierung in guter Ordnung führen, und allen Unordnungen, so viel an Ihnen ist, fürbeugen, und solche aus dem Wege räumen. Als aber das Regiment bey E. F. Gn. Hofe in 4. Senatus, zu reden, abgetheilet ist, benanntlich 1) in den Geheimen Rath, wohin die Lehn-Cantzley mit gezogen wird, 2) in die Regierung-Cantzley, woselbsten die Justitz-Sachen getrieben werden, 3) Cammer oder Rentheren, und



und 4) Geistliche Gerichte, wohin ich die vocationes der Kirchen und Schuldiener und deren Visitation referire; So wird von nöthen seyn, bey einem jedem Consilio oder Rath, die Mängel absonderlich zu untersuchen; wobey ich doch expresse in Unterthänigkeit will bedinget haben, daß ich dieses durchaus zu keines Dieners Beunglimpfung oder passion gegen diesen oder jenem, besondern bloß auff S. F. G. gnädigen Geheiß und zu Dero Nachricht, sothanen Unordnungen und Confusionen vorzubeugen, und das Regiment in einen bessern Stand zu E. F. G. hohen Auctorität, Dero und Ihrer Unterthanen Nutzen und Frommen zu setzen, schreibe.

S. II.

Nothwendigkeit dieses Gutachtens.

Anfänglich præsupponire ich, daß E. F. G. nach dem Exempel Ihrer löblichen Vorfahren, am Regiment, ja aller Kayser, Könige, Churfürsten und Herren, nach Unterscheid der Sachen, gewisse Senatus und Consilia bestellet, und einfolglich einen jeden Senatium bey denen ihnen anvertrauten Sachen wollen gelassen, und keinen durch den andern wollen beeinträchtiget haben. Da solches geschehen würde, hätten oder könnten E. F. G. von keinem Dinge Rede und Antwort fordern, weil einer es auff den andern schiebet, und keiner dessen, was versehen, die Schuld haben würde, hingegen da einem jeden

Den



den ein gewisses committiret, ist derselbige gehalten, davon Riede und Antwort zu geben, und alsdann ist unmöglich, daß es übel zugehen kan.

§. III.

Wenn ich aber bey E. F. G. Regierungs-Canzley, wie derselben vor diesen eingegriffen ist, bedencke: So muß ich bekennen, daß öffters viel Justiz-Sachen in die Cammer gezogen, und sonderlich auff den Aemtern mandata extrahiret worden. Wer seiner Sachen nicht getrauet, vor die Canzley zu treten, und sich des Rechts daselbst zu erhohlen, der ist E. F. G. auff die Aemter gefolget, daselbst hat man E. F. G. als die mit vielen Geschäften stets übergehauft, diese Sache referiret, daß Acta darinnen ergangen, verschwiegen, oder durch diesen oder jenem zur Freundschaft, oder aus einer andern Consideration mit Verschweigung der umstände Mandata und Rescripta losgewürcket, welche hernacher entweder zu Sverin in der Regierungs-Canzley (\*) retractiret werden müssen, wo man nicht injustitiæ beschuldiget werden wollen, oder aber, da E. F. G. Autorität, wegen der Ersten auff den Aemtern ausgelassene Befehle mainteniret werden sollen, hat man der Ungerechtigkeit beyflchten müssen. Darum meines wenigen unterthänigen Einraths E. F. G. alle Justiz Sachen, welche etwa auffer Sverin auff denen Aemtern möchten gesucht

Vielerley Arten, wie der Regierung in Justiz-Sachen Eingriff geschehen, und daß dieselbe abzuschaffen.

(\*) Wird jeko justiz-Canzley genant.



gesucht werden, nachher Sverin als der ordent-  
 lichen Hoffstadt zu remittiren, keinesweges  
 anzunehmen hätten, vielmehr diejenigen Leu-  
 te, so auff den Aemtern dieselben Sachen,  
 aus diesen oder jenen respect, Gunst, Freund-  
 schafft oder Eigennuß referirndn wollen, mit  
 gebührender Straffe anzusehen wären. Denn  
 einmahl nicht auff denen Aemtern locus Ju-  
 dicii ist; So sind zum andern keine Acta  
 daselbst vorhanden, nun kan aber extra Acta  
 keine richtige sentenz erfolgen, oder Manda-  
 ta erkant werden. Drittens verstehen öff-  
 ters die Referenten weniger als nichts von  
 dem Justiz-Wesen, gebrauchen sich einer Ju-  
 risprudentiæ cerebrinæ, oder einer eigen ge-  
 machten Juristeren, wollen decretiren, ex-  
 tendiren und revidiren zugleich, wodurch S.  
 J. G. Autorität bey andern hohen Perso-  
 nen und verständigen Leuten nicht wenig  
 violiret wird. Ja wenn gleich die erste Kla-  
 ge eingebracht wurde, so kan es doch nicht  
 probiret werden, daß es recht sey auff den  
 Aemtern zu decidiren; denn hiernächst die  
 supplicationes verlohren werden, und wenn  
 man weiter auff der Cankley agiren will, so  
 fehlet die erste Klage, so will sich dieselbe nir-  
 gend finden, dadurch werden dann die Par-  
 thenen auffgehalten. Ich gehe noch weiter,  
 daß wenn gleich ein Justiz-Rath auff denen  
 Aemtern sich mit befände, es doch unrecht  
 wäre,



wäre, daselbst, und zwar extra locum Judicii in Justiz-Sachen etwas zu decidiren. Nicht ohne ist es, daß bey Zeiten Herzog Ulrichs zu M. Fürsil. Gnadenhochseel. Angedenckens die Hoffstadt wohl eine ziemliche Zeit auff den Aemtern gewesen, und sie ihre Rätze mit den benöthigten Acten bey sich gehabt, daß daselbst in einem oder andern ist decretiret worden; allein das ist jetzo nicht, die acta kan man so nicht mit herum führen, und darum, weil E. F. G. auff die Aemter billig ihre recreation und Ruhe von den Aemtern haben sollen, wolten dieselbe mit unnothiger dahin nicht gehöriger Arbeit sich nicht beladen lassen. Zu Sverin ist dergleichen Eingriff auch wohl geschehen, ich erinnere mich, daß vor einige Jahre, wie die Cammer noch nicht völlig bestellet, wenn man nicht weiter in der Cammer fort konte, die Acta durch einander wieder in Ordnung brachte, und zu schaffen gehabt, wie man, was vergessen, wieder redressiren konte; Ja man brachte wohl Decreta aus, Director und Rätze solten sich dieser und jener Sachen enthalten, und die Partheyen in keinen Geld-fressende processe führen oder aber würckte sub & obreptitie Decreta aus, Cankley. Director und Rätze solten in dieser Sache also verabscheiden, dadurch ihnen die Hände gebunden worden, und sie den Proceß nicht nachge-

M

hen,



hen, oder was Recht ist und wahr, verhängen könnten. Hieran waren E. F. G. allerdings unschuldig, sondern andere die aus eigenen privat Nutzen solche Dinge extrahiret.

## §. IV.

Unordnungen in dem Geheimen Rath, und wie denselben zu helfen.

Den Geheimden Rath betreffend, kan ich nicht eben so sehr klagen, daß demselben so grosse Eingriffe geschehen, weil rerum difficultas im Wege, und weil kein commodum privatum dabey zu erwarten stehet, welches die Referenten abgeschreckt, ausserdem, daß wenn zu Zeiten in Policen-Sachen, auff Einrathen des Geheimden Raths von E. F. G. heylsame Constitutiones sind gemachet worden, bald bey diesem, bald bey jenen die Leute, so sich der F. G. Constitution unterwerffen sollen, sich angemeldet, und gesehen, wie sie durch Hemmung der Execution ein Loch darinn gemacht, dadurch man endlich ein Gespötte damit getrieben, fürgebende, der gleichen Befehlige wäheten nicht über 8. Tage. Wenn aber darüber gehalten worden, wie e. g. bey der Accise in Sverin rühmlich geschehen, so ist E. F. G. Autorität mainteniret, und nicht geringer Nutzen dabey geschaffet worden. Warum sollte es in andern auch nicht geschehen können? dieses aber würde wohl geschehen, und E. F. G. sich wohl dabey befinden, wenn dasselbe,

be,



